

...nam  
 ...gentur  
 ...quam  
 ...vos  
 ...aut  
 ...omnis  
 ...ego  
 ...dicit  
 ...dicit  
 ...quod  
 ...negra  
 ...Eras  
 ...ten  
 ...et os  
 ...ne  
 ...ville  
 ...et  
 ...sedere  
 ...et o  
 ...et du  
 ...omni

iste. Verumtamen non sicut  
 ego volo. Sed sic cuius. venit  
 ad discipulos et invenit  
 eos dormientes. Et dicit

M C P R S

una hora vigilare meum  
 vigilate et orate ut non  
 intretis in temptationem.  
 Spiritus quidem promptus est  
 caro autem infirma. Verus  
 sed abijt et oravit dicens  
 patris mihi ut hic calix transire  
 non bibem illud fiat volun  
 tas tua. Venit iterum et in  
 venit eos dormientes et dicit

I 6 I 4

lectus illis iterum abijt tertio  
 et oravit eundem sermonem di  
 cendo venit ad discipulos suos  
 et dicit eis Dormite facti  
 et inquietate. cor unum est.





Arena Hutteri

60 13

Disputatio inauguralis de Fide significante Maior.

Disputatio de Calvinismo fugiendo Maior.

De Vera Veritate Christi Duput. Bald.

Disput. Antiphoniarum de Loye, de Paulo Ruytonbach.

Disputatio Aristot. de duobus N. T. sacramentis Wilhelm.

Disput. de officio Christi Franzi.

Disput. de sacrificijs V. T. Franzi.

Disput. de Passione Ihu Dei Garbzi.

Harmonia Calvi. et Photin. Lyseri.

Disput. de Sacramento Eucharistiae forma et essentia

P. Lyseri

Recursum de Symbola Genealogica Iulii Calvi.



7. 7  
DISPUTATIO THEO-  
LOGICA  
De  
OFFICIO CHRISTI

JESU, DOMINI NOSTRI,

*Quam in Academia VVitebergensi,*

PRAESIDE

VVOLFGANGO FRANZIO

SS. THEOLOGICAE DO-  
CTORE,

Pro Gradu DOCTORATUS in

THEOLOGIA

consequendo

*Publicè defendet*

M. FRIDERICUS FABER,

ECCLESIAE STETINENSIS AD D. NI-

COLAI PASTOR.

*Ad d. 8. Julij, horis antemeridianis &  
promeridianis,*

WITEBERGÆ,

*Ex Officinâ Typographicâ Johannis Gormannæ*

ANNO clō lo xiv.

*Viro Rev. I. clero. On. M. Caspare Bamler, putnis/son  
salutatione, mitti M. Oberlin*



VIRIS

*Amplissimis, Consultissimis, Excellen-  
tissimis & Praestantissimis*

*Dnn.*

CONSULIBUS, SYN-  
DICO, CAMERARIIS, SENATO-  
RIBUS & SECRETARIO Veteris incli-  
tae Reipublicae Stetinenfis dignissimis,  
Patronis & Favitoribus suis  
colendis,

NEC NON

*Excellentissimis, Doctissimis & Specta-  
tissimis Dnn.*

PROVISORIBUS  
Ecclesiarum Stetinenfium vigilantissi-  
mis, Fautoribus & Amicis suis plurimum  
honorandis,

*reuerenter*

&

*officiosè*

Offert

FRIDERICUS FABER

ad D. Nicol. ibidem Pastor, SS. Th.  
Candidatus,





THESES DE OFFICIO FI-  
LII DEI, ANGELI FACIEI JHOVAE,  
CHRISTI JESU, Domini  
Nostri.

Thesis I.



Secundam personam Sacrosanctæ  
Trinitatis, *Filium Dei*, Angelum illum faciei Je-  
hovæ, vel Angelum fœderis, ut in Veteri instru-  
mento cognominatur, ex magna commiseratio-  
ne suscepisse statim à lapsu aliquot expedienda  
munera seu officia ad procurandam salutem to-  
tius generis humani in individuis cunctis & singulis, quam etiam  
actu ipso assecuturi fuissent homines singuli & omnes, modò sin-  
guli & omnes in nomē ipsius credidissent, crederent & credituri es-  
sent, ex indubitatis sacrarum Scripturarum oraculis edocemur ut  
& cum primis ex illis, in quibus Angelus fœderis seu Angelus  
faciei Jhovæ appellatur *Es 63, 9. Malach. 3, 1.* ante incarnatio-  
nem suam, conjunctis cum illo protevangelio *Gen. 3, 15.* Semen  
mulieris conculcabit caput serpentis, Huc pertinet & illud *1. Tim.*  
*2, 5.* Unus est Deus, unus & Mediator Dei & hominum, Homo  
Christus Jesus.

II.

Porro officium Christi ex Orthodoxis Theologis aliqui  
Compendij & doctrinæ brevioris gratiâ faciunt geminum,  
Sacerdotale videlicet & regium: aliqui verò triplex, nimi-  
rum, propheticum, sacerdotale & Regium. Nihil autem

A 2

in



in sese, quoad rem ipsam, habet ista partiendi diversitas detrimenta-  
ri vel ἐπεροδοσιαλίας, hæreticæ, siquidem in alterutrius vel utri-  
usq; etiã muneris explicationibus reliqui Doctores etiam Pro-  
phetici muneris rem ipsam non prætermittunt. Eodẽ recidit  
res, quando alij duas vel tres principales muneris Christi partes  
adhuc in plures hunc in modum dispescunt, & dicunt, quod  
Christus sit noster Mediator, Redemptor, Salvator, Rex, Sacerdos,  
Pastor.

III.

Atq; in arcano consilio à Deo hoc munus ipsi Angelo faciei  
Jehovæ est commissum, ut & ante assumptam carnem anquam An-  
gelus faciei Jehovæ, (quod nequaquam essentia, sed officij no-  
men esse, etiã simplicissimi agnoscent) totius generis humani,  
salutem suã intercellione, informatione & lecuturæ satisfactionis  
applicatione, curaret, & ut tandem in plenitudine temporis in as-  
sumptã, sibiq; personaliter ἀσυγχύτως, ἀτρέπως, ἀναλλοιώτως,  
ἀδιαρέτως, ἀχωρίτως, ἀδιαιστώτως, h. e. citra confusionem, muta-  
tionem, alterationem, divisionem, separationem, distractionem,  
unitã carne, totum genus humanum per sanctissimam nativita-  
tem, perq; cruentam passionem, & horrendam mortem re ipsa re-  
dimeret, & ex illis ante & post nativitatem suam viventibus non  
nisi omnes credituros in Ecclesiam sibi colligeret, collectam-  
que in æternum salvaret, incredulos verò æternis cruciatibus vin-  
dicaret.

IV.

Quamquam verò ante incarnationem suam FILIUS DEI in  
procuracione salutis generis humani etiã ALIQUAS suscepti offi-  
cij sui vices, ut ita appellare liceat, fidelissimè EXERUIT, quas  
nos in hac disputatione etiã tangemus, ut etiã nomen ipsius  
ANGELUS FOEDERIS, & ANGELUS FACIEI JEHOVÆ & alia testantur  
tamen quia post incarnationem OMNIBUS voluntatis divinæ seu  
officij à se suscepti & sibi à Deo attributi PARTIBUS, PLENISSIME  
demũ in assumptã humanitate suã defungitur, & quidem ut CHRI-  
STUS Θεάνθρωπος, tuncq; plenissimam redemptionem generis hu-  
mani peragit, iccirco à multis orthodoxis ab eodem jam dicto de-  
mum tempore, officij Christi partes considerari & explicari con-  
sueverunt, ita tamen, ut quæ ante incarnationem exercebantur, ab  
ipsis non negentur.

s. Præ-



## V.

Præterea etsi **FILIUS DEI**, ut diximus, officij à se suscepti sui **ALIQVAS** vices ante incarnationem exerit, indeq; maximi **COMMISERATORIS** nomèn reportat, tamen status exinanitionis ab Apostolo ad Phil. 2. ex Prophetis descriptus, non ad tempora ante incarnationem extendi debet, cum demum post ipsam incarnationem uterq; status exinanitionis & exaltationis Christi à S. S. nobis describatur, & in utroq; Christi officia certo ordine, quem hinc excutere institutum nostrum non patitur, perficiantur.

## VI.

Et in accommodatione specialissimâ partium officij Christi plenissimè post incarnationem præstitarum ad tempus post incarnationem probè pensitandum venit, esse Christum in Novo Testamento nostrum Sacerdotem & Regem, seu ut alij loquuntur, nostrum Mediatorem, Redemptorem, Salvatorem, Regem, Sacerdotem & Pastorem, non tantùm juxta divinam naturam, aut non tantum juxta humanam naturam, sed secundum utramque naturam, adeoq; nomina officij competere toti personæ, & utrique naturæ in eadem persona.

## VII.

Sic enim Jerem. 23. 5. 6. vocat justitiam nostram illum, qui non tantum ibidem à Propheta cognominatur **JEHOVA**, sed etiam qui dicitur suscitandus esse *Davidi ut germen justum*. Justitia nimirum debet nostra vocari is, qui erat futurus etiam germen justum, qui erat facturum judicium & justitiam in terra. Necessè igitur est justitiam nostram esse tam Jehovam quam germen, & tum germen tum Jehovam. Et *Jehovam* quidem, ut sufficeret superabundanter tanto operi, *germen* quod juxta *Esaïam* capit. 53. posset ponere seipsum sacrificium pro peccatis.

## IX.

Et in N. Testamento Act. 20. 28. *Deus ipse est*, qui sanguine suo Ecclesiam acquisivit. Et patheticum est istud 1. Joh. 1. 7. Sanguis Jesu Christi **FILII DEI** mundat nos ab omni peccato: non inquit, Sanguis enim Jesu Christi, emundat nos ab omni peccato, quod tamè per se satis fuisset axiomaticum, sed longe expressius loquitur:

A 3

San-



Sanguis Jesu Christi FILII DEI emundat nos ab omni peccato.

IX.

Atque hinc ut & ex alijs, quæ ad locum de persona Christi pertinent, evidenter æstimatur & firmiter creditur, quod officium illud quodque suum utraque natura nequaquam ita peragat, ut nimirum quælibet natura solummodo suas conferat naturales proprietates, & agat solummodò suas proprias operationes, ut ex istis ex utriusque naturæ parte concurrentibus resultet commune quoddam apotelesma seu communis effectus, qui applicetur ad singulos homines.

X.

Nequaquam. Quin potius juxta tenorem Scripturarum sacrarum in loco de persona Christi indigitatum, (1. & in illo aphorismo communibus Ecclesiarum orthodoxarum suffragijs nobilitatum, *Quicquid in tempore accepit Christus, illud secundum humanitatem accepit* Matth. 11, 27. & 28, 18. Joh. 3, 33. 34. 35. & 5, 22. 26. 27. Phil. 2, 9. Ephes. 2, 20. 21. 22. Heb. 2, 7. 8. 1. Pet. 3, 22. 2. in illo quod λόγος Carnis affectiones sibi certo modo specialiore appropriet, Luc. 1, 31. 32. Act. 3, 15. & 2.) utraque natura agit quod suum est, sed cum COMMUNIONE alterius.

XI.

Exempli gratia, in executione sacerdotalis officij, nequaquam caro Christi tantum laceratur, vulneratur, sanguinem fundit, mortem experitur, sepulturæ mandatur, sed etiam unà cum λόγος, sibi personaliter unito, & propter virtutem divinam sibi communicatam mortis, Diaboli & inferni potestatem destruit.

XII.

Similiter, ὁ λόγος non solummodò vincit mortem, Diabolum & infernum, sed etiam Deus patitur & moritur, quia patiente hac carne, simul patitur Deus, quia patitur caro, cui ipsi personaliter est unitus, non quod divina natura in sese pateretur.

XIII.

Eadem ratione Christum agnoscimus Sacerdotem & Regem, vel Mediatorem, Pastorem, Salvatorem, Justificatorem, Redemptorem, nequaquam secundum alterutram tantum aliquam  
ipfius



ipsius naturam, id quod faceret nobis verbalem sacerdotem, Regem verbalem, verbalem item Redemptorem, Salvatorem, Pastorem, Justificatorem, & opus redemptionis Christi penitissime evacuarer, nec enim caro nunc seorsim, sed in persona τὸ λόγος subsistit, ideoque nihil seorsim agere potest. Et in mediationis officio non tantum requirebatur, ut mediator moreretur, sed etiam ut æterna justitia repararetur, unde nec tantum Deum, nec tantum hominem, sed Deum & hominem in una persona indivisa decuit esse Salvatorem.

#### XIV.

His præmissis nunc ad partes officij Christi superius indigitatas, & generaliter saltem ( non juxta omnia requisita ipsarum, quod magni futurum esset libri opus ) explicandas accedimus.

#### XV.

Qui propheticum munus ( ut de illo lectoris plenius erudiendi causa explicitè aliquid agamus ) à reliquis separatim nominant & proponunt, pro eo comprobando adducunt oracula sacra hæc sequentia, Deut. 18, 18. *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, & ponam verba mea in ore ejus, loqueturq; ad eos omnia quæ præcepero illi.*

I.  
Angelus faciei  
Iehovæ, Christi  
est Pro-  
pheta.

#### XVI.

Et si verò generale videri aliquibus poterat hoc promissum, de quovis Propheta alio, de quo etiam Deus ipse Num. 12, 6. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum:* tamen diligentior & penitior contextuum plurimorum meditatio & æstimatio evincit, promitti tam singularem aliquem Prophetam, quàm præ alijs cunctis prophetis singularissimus fuit ipse Moses.

#### XVII.

Sic enim Moses ipse describitur Numer. 12, 6. 7. 8. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum, At NON TALIS SERVUS meus Moses, qui IN omni DOMO MEA fidelissimus est, ORE enim ad Os loquar ei, palam & non per enigmata Dominum videt.*

18. Hoc



## XIX.

Hoc videlicet dicit Jehova, Mosen esse Prophetam excellentioris axiomatis, utpote cui pateat liber aditus ad alloquia divina, quemadmodum nimirum amicus cum amico facie ad faciem, ore ad os conferre & communicare solet, idque propter hanc causam, quia Mosis ministerio Deus non modo tunc temporis promissionem unam specificam singularissimi momenti olim patribus Israelitarum factam opere ipso complevit, sed etiam simul notitiam veri Dei per omnia mundi climata vehementer obscuratam in emolumentum totius generis humani restauravit, id quod posterius non malè elicitur ex Deuter. 4. capite toto propemodum.

## XIX.

Similem igitur Mofi prophetam Deus tunc in exitu ex Ægypto vocat & promittit, *non quasi* quoad personæ saltem externæ dignitatem, & saltem quoad dotes numero plurimas atq; magnitudine eximias Mofi aut nonnihil major, aut saltem æqualis esse Christus debuerit ( siquidem divina singularitatis præminentissimæ idiomatica Messie ut homini etiam conferenda esse veteris Scripturæ codex etiam satis superq; demonstrat, ) sed quod in singulari opere educationis totius generis humani ex captivitate infernali, & in convertendo toto genere humano ad veram notitiã Dei, & ad noticiam hujus Mediatoris inter Mosen educentem Israelitas ex terrestri captivitate, & reformantem totius religionis negotium, deinde inter ista jam dicta maxima & divinissima facientem Christum aliqualis intercedere debebat analogia.

## XX.

Ponderat vim harum vocum epistola ad Hebr. cum c. 3. inquit: *Considerate Apostolum & Pontificem confessionis nostræ Christum Iesum, qui fidelis est ei, qui constituit illum, sicut & Moses in tota domo ejus. Ampliore enim gloriã præ Mose dignus est habitus, quanto ampliorem habet honorẽ, qui fabricavit illum: Omnis namq; domus fabricatur ab aliquo, qui autem omnia condidit, Deus est. Et Moses quidem fidelis erat in domo tota ejus, tanquam famulus, in testimonium eorum, quæ post dicenda erant, Christus vero tanquam Filius est in domo sua, quæ domus sumus nos, si fiduciam & gloriationem spei usq; ad finem firmam retineamus.*

21. Hoc



## XXI.

Hoc dicit epistola ista, Christum Jesum esse quidem Apostolum seu legatum nobis à cœlesti patre missum, ut nobis revelet voluntatem Patris cœlestis, Joh. 1, 18. *Deum nemo vidit unquam, Filius qui est in sinu Patris, ipse, ipse enarravit nobis.*

## XXII.

Quod autem sit longè immò infinities excellentior Mose tali ostendere nititur pronunciato; *Quemadmodum architectus ipse præstantior est domo sua quam extruit*: Ita Christus Mose est præstantior. Christus enim est architectus & filius, seu hæres, seu Dominus domus, id est, Ecclesiæ, Moses autem tantum est particula domus seu Ecclesiæ, quia Moses est famulus domus istius, missus ut varijs concionibus & cæremonijs dominum domus suæ, dominum Ecclesiæ prænunciaret ac adumbraret.

## XXIII.

Hujus Prophetici muneris vim exeruit Filius Dei, æquè mediator hominum veteris atq; novi Testamenti, inde ab initio post lapsum, unde in veteris instrumenti libris *Angelus Jehovæ* & *Angelus faciei Jehovæ* cognominatur, tum alibi passim, tum Genes. 48, 16. ex Gen. 28. vers. 13. & 31, 11. 12. 13. & 35, 1. Ose. 12, 4. inter se collatis. Ipse enim tanquam Angelus Jehovæ singularissimus ex rubo famulum suum Mosen vocat ad munus educendi populum ex Ægypto Exod. 3, 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. &c. Actor. 7, 37. Ipse decalogum repetit & reliquas promulgat leges in Sina. Exod. 23, 10. Actor. 7, 39. ipse educit & præcedit populum ex Ægypto exeuntem, & plantat vineam seu Ecclesiam Israeliticam in Chanaan.

## XXIV.

Sicut autem Filius Dei fuit Angelus fœderis istius insignis, in Sina, & simul expectabatur, ut Angelus fœderis, apud Malach. 3, 2. Ita nemo dubitabit, multo magis ipsum fuisse legatum fœderis primævi & primarij post lapsum initi inter Deum & totum genus humanum in Paradiso, in promulgatione protevangelij, quo promittitur semen mulieris contriturum caput serpentis. Hoc officio prophetico in carne sua fungentem Christum plenissimè conspicimus in novo toto testamento, quem etiam voce celitùs demissâ audire jubet pater cœlestis noster Matth. 17, 5.

B

25. Et



## XXV.

Et sicut in V. Testamento rebelles & inobedientes dicuntur peccasse adversus hunc Prophetam Exod, 23, 20. 21. 1. Cor. 10, 4. Ita quotquot hodie rebelles sunt & contemnunt verba Domini dicuntur itidem peccare in hunc Prophetam Luc. 10, 16. *qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit, qui autem me spernit, spernit & eum qui misit me.* Act. 9, 5. *Ego sum Iesus quem tu persequeris, sicut Apoc. 17. v. 14. impij scribuntur pugnare cum Agno.*

## XXVI.

Sicut etiam Matth. 28, 19. Marc. 16, 15. Christus *Ἰεσους* & jubet discipulos suos prædicare in universa terra, & postquam ascendit in sublime, dedit alios Prophetas, alios a. Evangelistas, alios Pastores ac Doctores Ephes. 4, 10. illudque deinceps ad finem mundi facturum est ex analogia Matth. 13, 30. Ita quoq; ante incarnationem *λογος* & Filius DEI vocavit Moysen, ita idem citra dubium omne vocavit & Prophetas & ministros suos alios, & sic quoq; fuit lux mundi, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum Es. 42, 6. & 49, 6.

## XXVII.

Differentia igitur insignissima inter hunc Prophetam in Moysen promissum, & inter alios omnes Prophetas & Ministros ex epist. ad Hebræos & ex alijs textibus sacris emicat, quia nimirum alij Prophetæ sunt tantum Ministri, & Legati & Apostoli verba per Filium DEI *λογος* Patris, aut per *Ἰεσους* Christum præscripta promulgantes & divulgantes, at *Propheta hic totius Ecclesie, immò totius mundi est auctor verbi divini ipse.* Ipse tradit Patris sui & suam ipsius doctrinam, alij v. ministri non tradunt suam, sed Filij DEI aut Christi doctrinam, ad quæ respicit etiam ipse cum inquit Matth. 23, 8. 9. 10. *Vos nolite vocari Rabbi, unus est enim magister vester, omnes autem vos fratres estis, & patrem nolite vocare vobis super terram, unus est enim Pater vester, qui in caelis est, nec vocemini magistri, quia magister vester unus est Christus.*

## XXVIII.

Ad hoc igitur officium pertinent tituli Es. 33, 4. præceptor gentium Es. 9, 6. consiliarius Hebr. 12, 2. auctor & consummator fidei Hebr. 3, 1. Apostolus & Pontifex confessionis nostræ. Heb. 8, 2. sanctus.



sanctuarij *λειβεργος* & tabernaculi veri quod fixit Dominus & non homo 1. Cor. 1, 30, sapientia nostra, Malach. 3, 1. Angelus testamenti Joh. 10. Hebr. 13, 20. 1. Petr. 5, 4. Pastor bonus & *δεξιποιμην*. Ioh. 1, 4. & 8, 12. Luc. 2, 32. Lux mundi, hominum, lumen ad revelationem gentium, lumen populi & gentium.

XXIX.

Ipse nimirum inde ab initio usque ad finem mundi juxta modum hactenus declaratum genus humanum de voluntate Patris sui & de vera via ad salutem æternam per Prophetas & Patriarchas, per scripturam & Apostolos per ministerium suum sanctum erudit, & erudiet usque ad consummationem seculi, ut reddatur totus mundus inexcusabilis.

XXX.

Officium Filij Dei Iesu Christi sacerdotale est, quo sicut ab initio statim post lapsum obtulit sese pro nobis victimam futuram & satisfactionem, ita tandem incarnatus & factus Patri suo per omnia obediens etiam seipsum pro peccatis totius generis humani sacrificavit semel, & pro beneficijs Patris applicandis apud Patrem suo modo semper pro nobis interpellat.

XXXI.

Sunt igitur officij hujus partes duæ, quarum prior completitur præstationem satisfactionis promissæ, posterior verò perpetuam & continuatam intercessionem seu interpellationem. In satisfactione promissa spectatur obedientia Christi, qua Christus non tantum implevit omnia illa, quæ nos præstare & implere non potuimus, sed etiam in super penas pro omnibus peccatis tam originali, quam actualibus in sese derivavit, & nostri loco seu nostri vice rigori justitiæ divinæ satisfecit.

XXXII.

De illa prior parte (obedientiam legi pro nobis præstante) extant oracula sacra. Rom. 5, 19. *Sicut per contumaciam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per obedientiam unius justii constituuntur multi.* Item Rom. 8, vers. 3. *Legis impotentia cum nihil posset in carne, Deus suo ipsius Filio misso conformato carni peccato obnoxie, idque pro peccato condemnavit peccatum in carne, ut illud jus legis compleatur in nobis, qui non secundum carnem incedimus, sed secundum spiritum.*

B 2

Huc



Huc pertinet illud Galat. 4, postquam venit plenitudo temporis, emisit Deus Filium suum factum ex muliere, *ἠγόμωρον ὑπὸ νόμου* factum sub legem, ut eos, qui sub lege erant, redimeret.

XXXIII.

De posteriore (malam peccatis pœnam debitam nostri vice expiante & auferente) quæ nobis innocentiam imputatam parit, Hebr. 10, 14 *Vnica oblatione consecravit in perpetuum eos, qui sanctificantur.* 1. Petr. 2, 24. *qui peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui justitie viveremus; cujus livore, cujus vibice sanati fuistis.*

XXXIV.

Sic enim credimus, Christum esse verè justitiam nostram in SOLA sua obedientia, quam Patri ad mortem usq; præstitit, eaq; nobis peccatorum omnium remissionem & vitam æternam promeruit, sine ullis nostris meritis atq; ullis præcedentibus, præsentibus aut sequentibus nostris operibus. Hoc est, Christi obedientia non ea tantum qua Patri obedivit per totam passionem & mortem, sed & qua propter nos sponte sese legi subjecit, eamq; implevit, nobis ad justitiam imputatur, ita ut Deus propter totam obedientiam (quam Christus agendo & patiendo in vita & morte sua propter nos cœlesti Patri præstitit) peccata nobis remittat, pro bonis & justis nos reputet, & salute æternâ donet.

XXXV.

In hac igitur utraq; obedientiâ tam activâ, qua legem DEI perfectissimè implevit, tam passivâ, qua patri suo factus est obediens usque ad mortem crucis, dicitur consistere justitia nostra fidei coram Deo, & hæc utraq; obedientia est justitia nostra, quatenus nimirum nos illam utramque meritoriam & satisfactoriam firmissima & perseverantissima fide apprehendimus, & nostri loco, nostriq; vice seu nostrum causa per Filium Dei Dominum nostrum Jesum Christum sponte & unice præstitam, nobis applicamus, quam Pater noster cœlestis ex magna misericordia & dilectione nobis etiam imputat.

XXXVI.

Cæterum activa obedientia Christi solidissimè astruitur ex allegato jam modò capite 4. ad Galatas. Et probè notandum venit, quod capite 2. & 3. Apostolus jam illuminatus ex Spiritu Sancti  
rere-



revelatione & infallibili instructione asserit sub veteri & novo testamento neque Judæos neque gentes potuisse salvari ex operibus legis, sed tantummodò debuisse & debere salvari per notitiam & meritum Messiaë, nimirum cæremonijs legalibus satis representati & per totum orbem terrarum divulgati.

X X X V I I.

Nos, *inquit*, natura Judæi & non ex gentibus peccatores, scientes quod non justificetur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi, etiam nos in Christo Jesu credimus, ut justificemur ex fide Christi & non ex operibus legis, propter quod ex operibus legis non justificabitur omnis caro. Et ne quis legem hinc ad cæremonias solas restringere præsumat, cap. 5. omnem præscindit disputationem. *Testificor rursus omni homini CIRCUMCIDENTI SE, quoniam debitor est universæ legis faciendi.*

X X X V I I I.

Et capite quarto agens utiq; cum Galatis extra Judæorum cæremonias constitutis omnem dubitandi occasionem magis præscindit, *postquã venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factũ ex muliere, factum sub legem, ut eos, qui sub lege erant redimeret, ut adoptionẽ filiorum reciperemus, QUONIAM autem estis FILII misit Deus spiritum Filij sui in corda vestra clamantem Abba Pater.* Ecce quomodo Galatæ hinc dicantur Filij Dei, gratis nimirum propter acceptam adoptionem in filios Dei, quæ adoptio provenit ex redemptione Christi, quæ redemptio contigit omnibus, qui sub lege erant, cui legi subjectus factus fuit Christus. At non soli Judæi hac methodo salvantur, seu hoc ordine seu hac ordinatione, verum etiam gentiles Galatæ. Ergo etiam gentiles Galatæ sub lege fuerunt, & inde redempti fuere, & adoptati in Filios Dei.

X X X I X.

Verum enim vero legibus cæremonialibus cum primis astricti fuere (non gentiles sed) Judæi seu Israëlitæ ex quorum linea expectabatur Christus, unde nequaquam in Apostolo LEGIS notatione sola lex cæremonialis venire potest, ac Christus subjectus legi esse non potuit tantum ratione cæremoniãrum, sed ratione omnium legum divinarum, sicut idem etiam confirmat cap. 3, 10. *Quicumq; ex operibus legis sunt, sub maledictio sunt. Scriptum est enim: Male-*



dictus qui non permanserit in omnibus quae scripta sunt in libro legis ut faciat ea. Et est vestigio ibidem : Quod in lege nemo iustificabitur apud Deum manifestum est, siquidem iustus suam fide vivit. Utrique opponuntur tota lex & totum Evangelium de fide Jesu Christi, ut inde nulla spes, hinc omnis salutis spes dependeat. Hinc sequitur, Lex non est ex fide, sed qui fecerit ea, vivet in illis. Christus igitur nos redemit de maledicto legis, factus maledictum (quasi peccasset contra legem) quia scriptum est *Maledictus omnis qui pendet in ligno.*

XL.

Usitatum etiam alibi est Apostolo (sub lege) hac phrasi innuere totam maledictionem legis, Rom. 6, 14: *Peccatum vobis non dominabitur, non enim estis sub lege, sed sub gratia.* Roman. 7, 4. *Fratres mei & vos quoque mortificati estis legi per corpus Christi, ut sitis aliterius, qui ex mortuis resurrexit, ut fructificetis Deo.* Cum enim essemus in carne, passiones peccatorum quae per legem erant, operabantur in membris nostris ut fructificarent morti. Nunc autem soluti sumus à lege mortis, in qua detinebamur, &c. Omnino ex his liquidum fit, quod sub lege esse idem sit atque esse devinctum toti legi, non tantum ceremoniali, siquidem Romani plerique omnes, quibus capite sexto scribit, ceremonialibus non erant obstricti, sicut ceremonialibus studebant Judaei Romae tunc viventes.

XLI.

Hinc etiam Christus dicitur finis legis Rom. 10, 4. quia in ipso perficitur & impletur lex, nobisque illa impletio & perfectio tandem imputatur ex mera gratia, misericordia, dilectione & beneplacito Patris nostri caelestis, ut tunc fiat, quod ad Rom. 5. dicitur, & paulò ante icidem allegatum fuit, *sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per unius obedientiam iusti constituuntur multi.*

XLII.

Nimirum Actor. 13, 38. 39. *Notum sit vobis viri fratres, quia per hunc vobis remissio peccatorum annunciat ab omnibus, quibus non potuistis in lege Moyfi iustificari, in hoc omnis qui credit iustificatur.*

43. Ergo



XLIII.

Ergo activa Iustitia Christi complectitur obedientiam illam Christi seu perfectissimam legis divinae impletionem, quam nostri loco seu nostri vice initio statim à lapsu pro nobis promisit, & tandem in carne præstitit Christo, inde usq; à primordio exinanitionis suæ, in conceptione, nativitate & subsequuta vita, etiam in ipsa passione ubi tamen concurrat passivæ justitiæ meritum. Ad hanc etiam porro pertinet, quod absq; omni peccati originalis macula conceptus & natus fuit, sicut in statu innocentiae nos ipsi à lepra ista originali immunes, & justitiæ originalis ornamento decorati fuissetis, certo modo, quod item subiecit se circumcissioni & typis Moysaïcis, quod in vitæ conversatione nihil fecit, quod lex vetaret, omnemq; fecit justitiam, quam lex postulabat. Huc pertinet quod in ore ejus non repertus fuit dolus, quod in eo dilectio Dei fuit perfectissima & justitia consummatissima, observatio mandatorum constantissima, sicut passio etiã latè patet, quia pauper nascitur, exulat, convitijs prosciinditur, insidijs præmitur. Pro quibus n. incarnatus fuit, pro illis obedivit, sicut & pro iisdem passus est. Augustin. tom. 9. tractat. 4. in epist. Joh. Nativitas Christi liberat à peccato, & de civitat. 10, 24. Christi incarnatione purgamur. Summatim propter quos venit, propter eos implevit legem. Nobis natus est Filius Es. 9. sicut pauper pro nobis 2. Cor. 8, 9. factus etiam est.

XLVI.

Sicut ergo Genes. 27. Jacobus reportat benedictionem ab Isaac pro Esavo pelle hædorum caprarum circumposita manibus & collo, ut fieret in judicio palpantis Isaaci similis, hirsuto & piloso Esavo, ita quoq; cælestis pater placatur nobis propter obedientiam à Filio præstitam, sed nobis applicitam, tanquam per vestem innocentiae indutam, propter quam nos pro sanctis & innocentibus habere dignatur. Et tunc teguntur sordes & sordium nostrarum reatus, quin & teguntur imperfectiones, quæ etiam in operibus sanctorum deprehenduntur.

XLV.

Interim vero nemo existimabit, simul opus non fuisse, ut pro nobis moreretur CHRISTUS, sed sufficere potuisse, si obedientia & justitia ipsius activa nobis ad justitiam imputaretur. Obedientia enim legi divinae debita, & præstita nostram voluit

com-



compensare imperfectionem; morte sua liberare nos voluit à pœ-  
nis mortis æternæ: idq; omne pro DEI voluntate & ordinatione.

X L V I.

Sic quoque vetustatem ultimam sensisse & docuisse doceri  
potest ex *Iustini Martyris* expositione fidei de recta confessione, un-  
de ab alijs etiam citantur hæc verba: *Quandoquidem peccato suo Adam*  
*mortis genus humanum subiecit, & naturam cunctam debito obnoxiam reddi-*  
*dit: Quod Filius & Deus esset, & homo transgressionem lapsusq; Adæ revo-*  
*cavit atq; abolevit: ac quatenus homo tum sine crimine innocenter vitam e-*  
*git, tum voluntariam subijt mortem, per conversationem quidem summam*  
*& exactam lapsus evacuans, per mortem autem indebitam debitum extin-*  
*guens, quatenus verò Deus, & quod solutum erat restituit, & mortem ipsam*  
*prorsus solvit. Hactenus ille.*

X L V I I.

Quod autem Christus Patri perfectam obedientiam præsti-  
terit, hoc resurrectio etiam ipsius & inter alia solidè probatum  
præstat, quia & hæc testatur, patrem plenè esse placatum, & victo-  
riam nobis à Christo partam. Quomodo enim vivere potuisset,  
nisi prius Patri satisfacisset. Hinc etiam *Paulus* conjungit mortem  
& resurrectionem *Rom. 4, 25. Christus traditus est propter peccata nostra*  
*& resurrexit propter justitiam nostram.*

X L V I I I.

Cum a. passiva Christi justitia in oculos omnium hominum  
clarius & evidentius incurrat, iccirco in hac enucleanda & incul-  
canda Spiritus S. in Apostolis est occupatior, licet interim acti-  
vam satis etiam æstimare doceat in locis supra excussis. Quid quod  
in hac sanguinis fusione, horrenda licet, tamen spontanea Christi  
obedientia luculentissimè etiam enituit.

X L I X.

De hac posteriore satisfactionis parte, nimirum de sacrificio  
Christi pro peccatis nostris in ara crucis peracto, ubi Christus pœ-  
nam in sese derivatã pro peccatis totius generis humani sustinuit,  
sunt *Ver. & Novi Test. in promptu oracula sacra plurima: Gen. 3, 15.*  
*Semen mulieris conculcabit caput serpentis, & tu insidiaberis calcaneo.* Huc  
pertinent omnes typi sacrificiales inde ab initio post lapsum usq;  
ad exaltationē Christi ad dextram æterni sui Patris in cœlestibus,  
qui in epist: ad Hebræos vocatur exemplaria & umbræ *Heb. 8, 9.*  
50. Huc



L.

Huc pertinet *Esaia* caput 53, & *Dan.* 9. & tota epistola ad *Hebræos.* *Matth.* 20, 8. quod *Filius hominis non venerit, nisi ut daret animam suam redemptionis pretium.* *Joh.* 10, 11. quod bonus pastor ille debeat animam suam dare pro ovibus. *1. Pet.* 2, 24. quod pertulerit peccata nostra in corpore suo super lignum, *Ephes.* 5, 2. quod tradiderit semetipsum pro nobis in oblationem & victimam Deo bonae fragrantiae. *Heb.* 9 12. *Christus non per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, eterna redemptione inventa.* Item v. 25. *Neque ut saepe offerat semetipsum, quemadmodum pontifex intrat in sancta per singulos annos in sanguine alieno. Alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi, nunc autem semel in consummatione seculorum ad destructionem peccati per hostiam suam apparuit. Et quemadmodum statutum est hoc semel mori, post hoc autem iudicium, sic & Christus semel oblatus est, ad multorum exhaurienda peccata.*

L I.

Sed quia de hac officij *Christi* parte notissima sunt sententiae sacrarum literarum cunctis *Christianis*, ideo pluribus adducendis super sedere poterimus.

L II.

Oprimè autem notanda venit *Universalitas meriti Domini nostri Iesu Christi*, de qua satis superque testificantur hæc sequentia oracula sacra *Gen.* 22, 18. In semine tuo benedicentur *Omnes gentes terræ.* *Esaia* 53, 6. posuit Dominus in eum iniquitatem *OMNIUM nostrum.* *1. Joh.* 1, 29. Ecce agnus ille Dei qui tollit peccata *MUNDI.* *Joh.* 3, 16. Sic *DEUS dilexit MUNDUM*, ut filium unigenitum suum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam aeternam. *2. Cor.* 5, 14. Si unus pro omnibus mortuus fuit, nempe omnes mortui fuerunt. *1. Timoth.* 2, 6. *Christus tradidit semetipsum pretium redemptionis pro omnibus: quo in loco Beza malè pro QUIBUS VIS vertit, ibidem paulò antè, DEUS vult omnes homines salvos fieri & ad agnitionem veritatis pervenire.* *1. Joh.* 22. *Iesus Christus est propitiatio pro peccatis nostris non pro nostris autem tantum, sed etiam pro TOTIUS MUNDI.* *2. Cor.* 5, 19. *Deus erat in Christo MUNDUM reconcilians sibi, & continuo additur illud, ex quo satis constat, quod sub vocabulo Mundi*

⊙

lo Mundi





lo MUNDI omnes comprehendantur. Pro Christo E. legatione  
fungimur tanquam Deo exhortante per nos obsecramus pro Chri-  
sto, reconciliemini DEO.

LIII.

Sed quod Christus etiam satisfecerit obedientiam suam pro  
omnibus etiam tandem damnatis, & damnandis, scriptura itidem  
expressissimis testificatur, Rom. 14. 15. si propter cibum frater tuus  
contristatur, jam non secundum caritatem ambulas, noli cibo tuo  
illum PERDERE, pro quo Christus est mortuus. 1. Cor.  
8, 11. PERIBIT infirmus in tua scientia frater, propter quem Chri-  
stus mortuus est. Hebr. 6, 4. 5. 6. Impossibile est eos, qui SEMEL  
sunt ILLUMINATI gustaverunt etiam donum caeleste & parti-  
cipes facti sunt Spiritus sancti, gustaveruntque bonum Dei verbum,  
virtutesque seculi venturi, sed prolabuntur ut rursus renoven-  
tur, ad poenitentiam, rursus crucifigentes sibi metipsis filium  
DEI. Hebr. 10, 29. quanto putatis acerbioris supplicio di-  
gnus censetur, qui Filium DEI conculcarit & sanguinem  
foederis, per quem fuerat sanctificatus, profanum duxerit, & Spiri-  
tum gratiae contumeliam affecerit?

LIV.

Hujus loci sunt illa, in quibus renatos ex gratia DEI excidere  
posse satis superque confirmatur. psal. 51, 13. ne projicias me a facie  
tua, & Spiritum sanctum tuum ne auferas a me. 1. Cor. 9, 27. Ca-  
stigo corpus meum & in servitutem redigo, ne cum aliis praedi-  
caverim, ipse REPROBUS efficiar.

LV.

Nisi etiam Christus satisfecisset pro omnibus, cunctis & sin-  
gulis hominibus, utique prorsus absolum esset, quod Christus ipse  
juberet Evangelium de perfecta satisfactione sua praedicare universae  
creaturae, seu omnibus gentibus. Matt. 28, 19. 20. Euntes docete omnes  
gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.  
Docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis, Matc. 16,  
15, 16. Euntes in MUNDUM UNIVERSUM praedicate Evangeli-  
um OMNICEATURAE (humanae scilicet: ut patet ex se-  
quentibus) qui crediderit & Baptizatus fuerit salvabitur, qui  
non crediderit, condemnabitur.

16. Quid



## LVI.

Quid, quod nisi Christus pro impijs & perituris satisfacisset, quod propter incredulitatem jure meritoq; condemnari non possent, quod tamen etiam Christus ipse iterum exprimit. Joh. 3. 17. 18. *Non misit Deus filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur MVNDVS per ipsum.* Ecce autem jam in sequenti separatione quales & quotuplices sint ij, propter quos SALVANDOS Christus missus est à DEO in mundum. Sic verò illicò sequitur, qui (ex mundo) credit in eum, non judicatur, qui autem non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti filij Dei.

## LVII.

Non libet exaggerare illud, quod juxta sententiam contrariam latior & amplior erat futurus morbus ex Adamo derivatus in totum genus humanum, quàm gratia Dei per Christum destinata à Deo ad tollendum malum illud ipsum jam nominatum, idq; contra expressissima verba Apostoli Rom. 5. 15. *Si unius delicto multi mortui sunt, multò magis gratia DEI & donum per gratiam unius hominis Iesu Christi in plures abundavit.* Et versu 18. *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem (mors regnavit) sic & per unius justitiam (abundavit gratia) in omnes homines in justificationem vitæ.*

## LVIII.

Quamquam his jam breviter delibatis nihil clarius, nihil facilius, nihil dulcius, tamen quod admirari & demirari satis nequeas, cum primis nostro seculo Beza nimis infelicem protulit, & nimis impiam Blasphemiam. Extrat illa in responsione Bezæ ad acta Colloquij Montis Belgardensis, in parte posteriore editionis primæ, procuratæ Genevæ Anno M. D. LXXXVIII, folio 218. & folio 221.

## LIX.

Folio 218. hæc sunt verba Bezæ formalia: *Ne quis ambigere possit, hunc hominem in ea esse sententia, quod Christus vere & re ipsa singulorum hominū, nullo prorsus excepto, peccata expiarit, quamvis postea per ipsorum incredulitatem non percipiant istius expiationis fructum, ecce ex p. 548. apposita quoq; ad marginem hæc sen-*

C 2

tentia



sentia (sola incredulitas damnat homines) totidem ipsius expressas voces. Non ideo damnantur, inquit, aeterno exitio adjudicandi quod peccaverint, & egent (verte potius, deficiuntur) gloria DEI: sed ideo damnantur & destituuntur, quia nolunt vera fide amplecti JESUM CHRISTUM, quoniam beneficium mortis CHRISTI per fidem sibi non applicant, qui pro ipsis mortuus est & pro peccatis illorum satisfecit, sicut Christus aperte testatur cum inquit, Hoc est judicium, quod lux venit in mundum, mundus plus dilexit tenebras quam lucem. Johan. 3. Item Johan. 16. Spiritus sanctus arguet MUNDUM de peccato quia non credunt in me. *Obsecro vero Christiane Lector ccquis unquam antehac in Ecclesia Christiana tam FALSUM, tam MONSTROSUM, tam ABOMINANDUM dogma, ausus est tam impudenter in Ecclesiam DEI invehere, & illud etiam aeternae & immutabilis veritatis appellatione exornet? Haec tenus verba Bezae.*

LX.

Fol. 221. Haec extant verba Bezae: *Iterum dico & coram tota Ecclesia DEI profiteor, FALSUM, BLASPHEMUM, IMPIUM esse dicere; Christum, sive quod ad consilium DEI attinet, sive quod ad effectum, NON MINUS pro damnandorum, & aeterno judicio adjudicandorum peccatis, passum, crucifixum mortuum esse, & satisfecisse quam pro peccatis Petri, Pauli & omnium sanctorum, ut totidem verbis D. Andream non puduit ore & scriptis affirmare. Haec iterum verba Bezae fuere formalia.*

LXI.

Sunt autem ibidem crebrae repetitiones earundem rerum & eorundem verborum, ut folio 216. de epistola Johannis, scripta ad omnes discipulos Christi doctrinam amplectentes, quos simul omnes intelligat vocabulo NOSTRIS, nomine autem totius mundi omnes homines, nemine excluso, de quo addit, *Etiamsi largior, recto quidem sensu, ita ut per omnes homines intelligantur singuli electi ac proinde, credentes, contra me non facit, ad singulos autem sine cujusque exceptione ex hujus commento accommoda-*

sum



tum tam Impium & **BLASPHEMUM** est illud affirmare, quam dicere, damnari posse quenquam, cujus expiata per Christi mortem sunt peccata, sive pro quo Christus satisfecit. Hæc iterum & alia plura ibidem Beza.

LXII.

Si hæc non est blasphemia in sacratissimum verbum Domini, ex quo oracula superiora fuere producta, nescimus utique quid blasphemia esse queat. Si enim Christus est agnus Dei tollens peccata mundi, si anima ipsius posuit sacrificium pro peccato, si Iehova posuit in eum omnium nostrum iniquitates, si in eo benedicentur omnes gentes terræ, si Deus dilexit universum mundum, ut daret Filium suum, si multi pedibus conculcant & profanant sanguinem fœderis, per quem fuerant sanctificati, ideoq; tandem acerbioris supplicio plectuntur, utiq; Christus satisfecit etiam pro damnatis, utiq; etiam pro pereuntibus sanguinem suum effudit.

LXIII.

Quam cara igitur est memoria passionis Domini nostri Iesu Christi, tam impia, tam falsa, tam abominanda, tam scelestæ, tam execranda, tam damnata debet unicuique esse ista Bezae blasphemia, nec dubitamus, si omnes auditores ipsius, & omnes affectæ alii penitus intuiti fuerint istas Bezae diabolicas execrationes, quin spontè sint deserturi, & penitus proscripturi, farum illud seu Stoicum seu Homericum, quod ab aliquibus hæctenus factum fuisse historiis edocti novimus.

LXIV.

Cæterum ad officium Christi Sacerdotale pertinet quoque *intercessio pro nobis & pro toto genere humano*. Hujus fundamenta extant in sacris literis solida, Psal. 110, 4. Tu es Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, qui nimirum Gen. 14, 19. benedixit Abrahamo, sicuti epistola ad Hebr. 7, 3. declarat, *Habenti promissiones benedixit, Elz. 53, 12. Pro Transgressoribus rogavit. Iohann. 17, 20. Rogat pro discipulis & pro omnibus, credituris per sermonem eorum. Rom. 8, 33-34. Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui justificat. Quis est, qui condemnet, Christus Iesus qui mortuus est, imò qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam INTERPELLAT pro nobis,*

C 3

65. Sicut



## LXV

Sicut autem statim post lapsum sese offert victimam, & ita pro genere humano interpellasse creditur: ita nunc etiam orat & intercedit pro nobis. Id quod tamen etiam non intelligitur de gestibus prostrati, & manibus, & humiliter suspirantis Domini, quasi potestatem non haberet omnia faciendi quæ vellent, cum qua potestate interpellatio jam indigitata stare non potest, sed de Christo causam salutis generis humani apud patrem cœlestem agente, & patri meritum suum insinuante, ut ob id omnes in fide accedentes in gratiam recipere dignetur, nec amplius ipsorum peccatis quantumvis horrendis motus, faciē ab eis avertat.

## LXVI.

Orat autem Christus pro omnibus etiam pro inimicis, modò sese non præbeant pertinaciorē defectione, & pertinaciorē impietate, spontaneaq; veritatis abjuratiōe tanto beneficio indignos. Tunc enim nec ipse pro mundo orat Iohan. 17, 9. nec vult ut nos oremus pro peccantibus ad mortem, quales jam descripsimus, & quales tota epistola Iohannis ad modum diaboli patris, atq; in magnis peccatis continuanter, & protervè perseverantes describit, 1. Iohan. 3. & 1. Ioh. 5, 16. inter sese collatis accuratè.

## LXVII.

Lutherus Tomo 6. Germ. Jenensi fol. 186. super 17. caput Iohannis: *Hæc est differentia, hæc modo & hæc ratione non orat pro mundo, sicut orat pro Christianis. Pro Christianis & omnibus convertendis ita orat, ut in vera fide maneat, crescant & pergant, nec excidant, & qui adhuc non sunt in fide, ex mundi via exeant: ad Ecclesiam accedant. Hoc est bene orare pro, sicut omnes orare debemus. Aber wie sie itzo gehet vnd stehet/ weil sie wider das Evangelium wüet vnd tobet / wil er in keinem weg für sie gebeten haben/ &c. Hoc est, sed sicut iam mundus agit & negotiatur, contra Evangelium furit & tumultuatur, non vult orari pro mundo. Hæc Lutherus.*

## LXIX.

Idem Lutherus ejusdem loci folio eodem; *So sihet nun Christus mit diesen Worten auff die zween Hauffen/der Erste vnd Kleine/ der Gottes Wort hat vnd treiben sol/der Ander der grosse/ der es im Sinn hat jenes Häufflein zu dempffen / vnd mit allen Kräfte*



Kräftten darnach trachtet / wie er das Evangelium vnterbrückte.  
Da findet sichs nun / was die Welt sey / oder wer von der Welt / vnd  
nicht von der Welt heisse / denn die Welt heisset eigentlich die / die  
dem Wort todt feind sind / daß sie es nicht sehen noch hören können /  
welches ist nicht mehr ein Menschliche / sondern ein verzweiffelte  
Teuffels Sünde / der also in der Welt regieret / vnd die Hertzgen  
vergiftet vnd durchbittert / mit seinem wütigen Haß wider Chri-  
stum vnd sein Wort / Denn das ist seine Art / wo er nicht kan etwas  
erdencken oder erregen / das Wort auffß aller schändlichste zu lä-  
stern / Schmecken vnd Verfolgen / dem HErrn Christo zu Leid  
vnd Verdruß / Da übet er all sein Macht vnd Krafft / vnd wo er mit  
Gewalt nichts schaffen kan / ist er so Böß / daß ers nicht hören kan /  
leufft vnd fleugt darfür / mehr denn für dem Creutze vnd leffet nicht  
nach / damit er seinen bitteren grimmigen Zorn dawider erzeigt vnd  
auslasse. *Hæc omnia Lutherus. Hoc est: His verbis Christus re-*  
*spicit duo agmina, primum & angustum, habet & propagat ver-*  
*bum Dei, alterum amplum cogitat extirpare agminis parvi cœ-*  
*tum, & omnibus viribus delere Evangelium. Hic vides quid sit*  
*mundus, qui sint de mundo aut non de mundo. Mundus proprie*  
*significat osores verbi, quod nec delere nec audire possunt, quod*  
*non est humanū sed diabolicum peccatum desperatum, quia dia-*  
*bolus in mundo sic grassatur, corda inficit & exasperat adversus*  
*Christum & Verbum. Hæc enim est ipsius malitia, ubicunq; po-*  
*test aliquid excogitare aut moliri, ut verbum turpissimè blasphemetur*  
*in odium Christi, & ubi non potest persequi, fugit.*  
*nihil tamen interim relinquens de acerba ira sua. Id videmus*  
*adhuc in hanc usq; horam in filiis suis. Hactenus iterum Lutherus.*

LXIX.

Mundus igitur pro quo Christus non orat, interprete Lu-  
thero, complectitur omnes contra conscientiam, contra agni-  
tam & satis agnitam veritatem, tamen diabolicè & malitiosissi-  
mè furentes & grassantes, quales tunc erant omnes intra & extra  
Judæam malitiosè doctrinam, & miracula ejus profanè conte-  
mptantes, postea alijs seculis alijs similes, cunctis contra quos po-  
tius orandum est, ut dissipemus consilia ipsorum, quàm ut adhuc  
sit orandum pro ipsis, quia hoc pacto contra Evangelij cursum  
oraretur.

70. Simi-



## LXX.

Similiter inquit, Vitus Theodorus in summariis super Iohann. 5. impiis usq; prædicatur, usq; reprehenduntur peccata, usq; Dei comminationes audiunt, sed non solum convertuntur, sed magis magisq; pergunt, securi sunt, supini, & sine futurorum timore, imò blasphemant & persequuntur verbum Dei, & agnitam veritatem. Hoc dicit S. Iohannes peccatum esse in Spiritu sanctum, quod certò mors sequetur, nisi convertantur & desistant. Non loquor de ijs, qui ex ignorantia verbum persequuntur, pro quibus orare debemus, ut Deus convertat eos, sed pro peccatoribus, qui manifestam veritatem persequuntur, orandum non est, Nam ita in malitia sua confortarentur. *Hactenus verba Viti Theodorici, qui omnia sua ex micis Lutheri collegit.*

## LXXI.

Ergò Christus interpellat pro omnibus, etiam pro peccatoribus, ut ad veram fidem convertantur, modò nimis diabolica impœnitentia, diabolicè continuata pertinaciâ, diabolicisq; criminibus adversus veritatem cœlestem tanta intercessione, tanti advocati, successu temporis sese ipsos privare non perrexerint, ut non amplius parcendum istis S. Trinitas statuatur, sed potius quod per abusum nimis magnæ lenitatis divinæ promeriti fuerit, diabolis indurandos puniendosq; committat, undè tum profus de ipsis actum fuerit, idq; non ex aliqua culpa Dei, aut ex aliqua *μισανθροπία* Dei, sed propter turpem abusum *Φιλανθροπίας* divinæ diuturnæ, & propter diabolicam proterviam diabolicè continuatam cum contemptu omnium mediatorum divinorum.

## LXXII.

Ad Sacerdotale officium Christi pertinent Tituli sequentes: Psal. 110, 4. Sacerdos secundum ordinem Melchisedech: Pontifex, Heb. 2, 17. & 5, 10. & 9, 11. & 13. Esa. 53, 10. Sacrificium pro peccato. Iohan. 1, 29. agnus, is qui etiam extat Apocal. 13, 8. 1. Pet. 1, 19. item 1. Cor. 5, 7. Pascha. Rom. 8, 34. 1. Iohan. 2, 1. Intercessor & advocatus, item *λύτρον* & *ἀντίλυτρον* Matth. 20, 28. 1. Tim. 2, 6. Item Liberator, Rom. 11, 26. Odor bonæ fragrantia, Eph. 5, 2. & Pax Ephes. 2, 14.

## LXXIII.

*Officium Christi regium est, quo Christus Iesus nunc sedens*

*dens*



dens ad dextram Patris omnia potenter in toto mundo guber- Angelus fa-  
nat, simulq; sibi ex toto genere humano colligit Ecclesiam, ho- ciei Iehove  
stes cohercet, & tandem pijs æterna gaudia, impijs æternam da- Christus rex  
mnationem distribuet. Huc pertinet totus Psalmus secundus. noster.

LXXIV.

Huc Psal. 45, 1. Dico ego opera mea Regi, Sedes tua Deus in  
seculum seculi, virga directionis, virga regni tui. Item huc  
illud Esaie 9. b. 7. Factus est principatus ejus super humerum ejus, Prin-  
ceps pacis, multiplicabitur ejus Imperium, & pacis non erit finis, super so-  
lium David & super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud & corro-  
boret in judicio & justitia à modo & usq; in sempiternum. Ierem. 23, 5.  
Ecce dies veniunt dicit Dominus, & suscitabo Davidi germen justum, &  
regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet judicium & justitiam in terra.

LXXV.

Ezech. 34, 23. 24. Ego suscitabo super oves meas pastorem unum,  
& pascet eas, servum meum David, ipse pascet eas, & ipse erit in Pastorem.  
Ego autem Dominus ero eis in Deum, & servus meus David Princeps  
in medio eorum, Dan. 2, 44. In diebus regnorum illorum suscitabit Deus  
Cæli regnum, quod in æternum non dissipabitur, & regnum ejus  
populo alteri non tradetur, comminuet autem & consumet universa regna  
horum, & ipsum stabit in æternum. Zach. 9, 9. Exulta satis filia Sion,  
jubila filia Ierusalem, Ecce rex tuus veniet tibi justus & Salvator, ipse  
pauper, & ascendens super asinum, & super pullum filie asinae.

LXXVI.

Ex N. Testamento nulla libet adducere in hunc sensum.  
oracula sacra, cum unicuilibet ex vulgo notissima sint, quod Ma-  
gi quærunt Hierosolymis, Matth. 2, 2. Vbi sit qui natus est Rex Ju-  
dæorum, cujus stellam viderint in Oriente, & venerint adorare eum,  
quod 1. Cor. 15, 25. Oportet ipsum regnare, donec ponat omnes inimi-  
cos sub pedibus ejus, quod Apoc. 19, 16. Iohannes videt scriptum in scemore  
Christi, nomen Christi hoc, Rex Regum, & Dominus dominantium,  
& quod Luc. 1, 33. regnabit in domo Iacobi in æternum, & regni ejus  
non erit finis, sicut Dan. 7, 13. 14. Filio hominis prævidet dari ab antiquo  
dierum æternam potestatem & regnum, quod non corrumpetur, id quod  
& alius Propheta in Psal. 8. prævidit.

D

77. Ad-





## LXXVII.

Admodum v. abominanda est Judæorum semper terrenis glorijs & emolumentis nimis superbè inhiantium protervia, quæ pro regno Messiaæ cœlestia spiritualiaque procuraturo tantummodo corporale terrenumque expectat & sperat. Quam ipsam vel solus Psalmus 110. refutat sufficienter, qui docet, Messiam sedere à dextris Dei, ut etiam Zacharias, qui cap. 9. prævidet & prævaricatur, pauperem, & non nisi super asinum & asinam intra Hierosolymæ quasi Metropolis sue pomeria equitantem, ut item Esaias & Daniel, quorum ille cap. 53. moriturum, hic excidendum, uterq; tamen resuscitandum & floriturum scribit, & Metropolim cum tota Politia funditus delendam addit Daniel.

## LXXVIII.

Si igitur Messias debet esse Rex, si debet regni ejus non esse finis, si debet regnare super solium Davidis, si tamen solium Davidis ita statim post exhibitum hunc Regem debet dissipari, ut in æternum erigi nequeat, utiq; invictè consequitur, Regno Messiaæ non DEBERE generi humano procurari terrena & corporalia bona, sed talem benedictionem, qua benedicuntur omnes, quotquot saltem benedici non detrectent, nimirum quotquot velint vulneribus Messiaæ sanari, quotquot velint sua peccata expiari, prævaricationes finiri, deleri iniquitates, & impetrare justitiam coram Deo in æternum valituram.

## LXXIX.

In specie verò notandum venit, quod CHRISTVS non regnet tantummodò secundum suam divinam, sed etiam secundum humanam suam naturam, quæ collocata est ad dextram patris, ideoq; sedens ad dextram patris simul regnat ut Deus. Quid autem sit regnare ut Deus, patebit ex his ce 1. Par. 29, 12, 13. *Tua est Domine magnificentia, & potentia, & gloria, & victoria, & tibi laus, cuncta enim, quæ in cælo sunt & in terra, tua sunt, Tuum Domine regnum, & tu es super omnes principes, tuæ divitiæ, & tua est gloria, tu dominaris omnium, in manu tua virtus, & potentia, in manu tua magnitudo & Imperium omnium, Psal. 24, 1. Domini est terra, & plenitudo ejus, orbis terrarum, & universi qui habitant in eo. Num. 11, 23. Nunquid manus Domini invalida est. Job. 11, 7. Nunquid vestigia Dei comprehendes & usq; ad perfectum, omnipotentem reperies? Psal. 115, 3. Deus noster in cælo, omnia quacunq; voluit, fecit.*

80. Ex



## LXXX.

Ex his ipsis Christus & Apostoli sua illa mutuatur, Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra, Phil. 2, 9. Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium & inferorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris, 1. Pet. 3, 22. Qui est in dextera Dei deglutiens mortem, ut vitæ æternæ heredes efficeremur, profectus in cælum, subjectis sibi Angelis, & potestatibus & virtutibus.*

## LXXXI.

Sicut ergò olim in ipso Coloss. 1, 16. 17. condita sunt universa in cælis & terris visibilia & invisibilia, sive throni sive dominationes, sive principatus, sive potestates, omnia in ipso & per ipsum creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant, ita nunc totus Christus Angelis olim à se conditis dominatur, imperat diabolis, regit sidera Cælorum, maria, flumina, omnes ex terris nascentes res habet subjectas pedibus suis, boves & oves universas, insuper & pecora campi, volucres cæli & pisces maris, qui perambulant semitas maris, Psal. 8.

## LXXXII.

His omnibus dominatur Christus, in utilitatem hominum, quos ad Ecclesiæ suæ societatem congregare sedulo nititur modo, & ratione cælesti in hoc terreno domicilio, donec olim eam sistet immaculatam æterno patri suo.

## LXXXIII.

Et sic patet quod Christus nunc temporis, non tantum dominetur in Ecclesia, & super Ecclesiam, quæ ipsum agnoscit & colit, sed etiam potentissime gubernat universas, cunctas & singulas creaturas, id quod sicut alia dogmata sacra, in quibusdam sacris oraculis conjunctim, in quibusdam separatim docetur, quemadmodum ex allegatis Testimonijs divinis utrumq; facile est agnoscere & distinguere, ut etiam inter regnum gratiæ, potentiæ, & gloriæ, de quarum differentijs instituti nostri ratio plura dicere non permittit.

## LXXXIV.

In tempore assumpta à λόγῳ humanitas, ut dictum fuit, ad hoc ipsum, & reliqua officia fuit uncta oleo lætitiæ, præ consortibus suis, juxta Psalm. quadrages. quintum, quem repetit &

D 2

allegat



allegat Epistola ad Hebr. c. 1, 9. & ab eo tempore in omnem usq; aeternitatem Christus regnat secundum utramq; naturam. Ut enim hominum totum genus patri reconciliaret, ejusdem cum ipso naturæ esse eum oportebat, sed ut sustinere posset tantum munus, in quo destruendum erat imperium Sathanæ, et regenerandi per nativitatem carnalem perditæ, & Deum simul esse oportebat, & unctioe carni ista opus fuit, ut & ipsa omnipotentia, divina opera præstare posset.

LXXXV.

Hinc igitur est, quod omnia sustinet verbo potente suo, quod subjectas pedibus habet cunctas creaturas, quod est cum omnibus in medio ubicunq; duo aut tres sunt congregati in nomine suo, quod est nobiscum usq; ad consummationem seculi, quod dominatur in medio inimicorum suorum, quod ex alto dat Apostolos, Prophetas, Evangelistas, Pastores & Doctores ad consummationem sanctorum, in opus Ministerij, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis Filij Dei in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, quod potest cognoscere omnium & singulorum hominum vota, quæ tacitis labijs, immotis labijs in corde pro salute sua & aliorum concipiunt, & ad ipsum dirigunt, quod in se credentes non confunduntur, quod mansionem facit apud cunctos credentes, & pios, quod scit omnes cogitationes omnium hominum, quod novit singulos homines, quod pios Spiritu suo implet, quod impijs frenum injicit, pœnas infert.

LXXXVI.

Hinc est, quod in ultimo die singulos ex mortuis evocabit, ne uno præterito Individuo, singulos inquit, quotquot ab Adamo creati fuerint usq; in ipsum momentum ultimi diei, quod tunc judicabit est vivos & mortuos, id quod alia ratione facere non potest, nisi juxta fidem vel incredulitatem, qua singulos ex hac vita discessum fecisse, exploratissimum & perspicuissimum habet, quodq; singulis juxta fidem vel incredulitatem merita sua, hoc est, vitæ æternæ gloriam, vel æternæ gehennæ cruciatus destinabit & distribuet, & quæ sunt similia, quæ à sola carne nostris carnibus simili aut etiam alijs Angelicis vel superangelicis axiomatibus super exornata exerceri nequeunt.



LXXXVII.

Hinc est, quod in hac vita Antichristos interficit Spiritu oris sui, percutit terras virga oris sui, & Spiritu labiorum suorum interficit impios, quod non relinquit nos Orphanos, quod manentes in ipso fructum multiplicem ferunt & quæ sunt opera ipsius numero infinita, magnitudine ineffabilia, & bonitate inestimabilia. Quæ omnia Zvinglianos & Calvinianos decebat æstimare paulo profundius & accuratius, ut desinerent blasphemare adversus majestatem carni communicatam divinam, quasi Christus quidem esset Rex Ecclesiæ secundum utramque naturam, sed officium suum exerceret hoc pacto ut divina natura suas, humana etiam non nisi suas ad illud conferret proprietates & actiones.

LXXXVIII.

Hoc enim pacto dissolvitur totum mysterium unionis inter λόγος & carnem personalis, in os contradicitur Spiritui sancto, qui vult nos fiduciam ponere in Domino nostro JESU CHRISTO, quatenus est Filius hominis, derogatur Christo honos invocationis, quatenus est Filius hominis, summarim caro redigitur in ordinem solummodo Prophetarum, Cum enim sacra scriptura velit agnosci Christum resuscitorem & judicem viventium & mortuorum, quatenus est Filius hominis, quam spem in carne Filij hominis habebit, qui carni divina idiomatica & axiomata ipsissima derogat.

LXXXIX.

Cæterum, etsi Abrahamo & semini ejus Deus singulariter promisit Messiam, tamen amplitudo regni Christi in Prophetis & in N. Testamento ita describitur ut non tantum sit ipsi subjecta posteritas Abrahami, verum etiam universum genus humanum Psal. 2. 8. *Postula à me & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam Terminos terræ, Matth. 28. 19. Docete omnes gentes. Marc. 16. Ite in orbem universum, Prædicate Evangelium omni Creaturæ.*

XC.

Attende autem lector, quid satisfactum fuerit ex divina Providentia Regis Regum, & Domini Dominantium JESU CHRISTI, ejusdem ipsius proprio mandato (*prædicate omni creaturæ*) Idem confirmat Apostolus gentium Colos. 1. 6. 23. Vbi testatur per-

D 3

venit



venisse suo illo tempore in totum mundum, & prædicatum fuisse,  
omni creaturæ sub sole, & fructum tulisse Evangelium.

XCI.

Ecce Pauli Apostoli tempore, eo nimirum tempore, quando  
scribebat Epistolam ad Colossenses ex Roma, Evangelium de Jesu  
Christo peragraverat universum orbem terrarum. Qua de re scri-  
bit etiam Chrylostomus super caput 24. Matthæi in hunc modum:  
*Videas Paulum ab Hierosolymis ad Hispaniam usq; currentem. Quia si unus  
in tanta parte orbis prædicavit, cogita, quid à reliquis factum fuerit. Et pau-  
lo post: Quod autem ubiq; prædicatum fuerit Paulus, ostendit dicens: A spe Ev-  
angelij, quod audistis, quod prædicatum est in universa creatura, quæ sub coelo  
est. Quæ res maximum argumentum omnipotentia Christi est. Viginti enim  
annis aut ad summum triginta ad omnes oras orbis Evangelium transcurrit.  
Hactenus verba Chrylostomi.*

XCII.

Audiantur etiam verba Hieronymi, quæ scripsit super Matt. 24.  
*Prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, & non tantum ibi fi-  
nem Hierosolymorum, quod Chrylostomus facit, sed simul finem  
mundi sibi propositum cogitat & spectat: Verba igitur ita habent:  
Signum Domini Adventus est Evangelium in toto orbe prædicari, ut nullus sit  
excusabilis, quod aut jam completum, aut in brevi cernimus esse complendum.  
Non enim puto aliquam remansisse gentem, quæ Christi nomen ignoret. Et  
quanquam non habuerit prædicatorem, tamen ex vicinis nationibus opinio-  
nem fidei non potest ignorare.* Hactenus verba Hieronymi.

XCIII.

Huc illud Tertulliani adversus Judæos cap. 7. *Venturum Chri-  
stum nec Iudæos refutare scimus, utpote, qui in adventum ejus spem suam por-  
rigant. Nec de isto pluribus querendum, cum retrò omnes Propheta de eo præ-  
caverint, ut Esaias dicit; sic dicit Dominus Deus Christo meo Domino, cujus  
tenui dextram, ut exaudiant illum gentes, fortitudines Regum dirumpam,  
aperiam ante illum portas, & civitates non claudentur illi. Quod ipsum ad-  
impletum videmus. Cui enim dextram tenet Pater Deus, nisi Christo Filio suo?  
Quem exaudierunt omnes gentes, id est, cui omnes gentes credi-  
derunt, cujus & Prædicatores Apostoli in Psalmis David osten-  
duntur: In universa inquit terra exiit sonus eorum, & usq; ad ter-  
minos terræ verba eorum. In quem enim alium universa gentes cre-  
diderunt, nisi in Christum, qui jam venit? Cui verò & alia gentes credide-  
runt,*



runt, Parthi, Medi, Elamitæ, & qui inhabitant Mesopotamiam,  
Armeniam, Phrygiam, Cappadociam, & incolentes Pontum, &  
Asiam, & Pamphylia, immorantes Ægyptum, & regionem Afri-  
cam, quæ est trans Cyrenen inhabitantes, Romani & incolæ tunc  
& in Hierusalem Judæi, & cæteræ gentes, ut jam Getulorum varie-  
tates, & Maurorum multi fines, Hispaniorum omnes termini, &  
Galliarum diversæ nationes, & Britannorum inaccessa Romanis  
loca, Christo verò subdita & Sarmatarum & Dacorum, & Germa-  
norum, & Scytharum & abditarum multarum gentium & provin-  
ciarum & Insularum multarum nobis ignotarum, & quæ enume-  
rare min⁹ possumus. In quibus omnibus locis Christi nomen, qui jam venit,  
regnat, utpote ante quem omnium civitatum portæ sunt apertæ, quanquam  
ista spiritualiter sint intelligenda, quo præcordia singulorū variis modis à Dia-  
bolo obsessa fide Christi sint reserata: attamē perspicuè sunt adimpleta, ut po-  
te in quibus omnibus locis populus nominis Christi inhabitat.  
Quis enim omnibus regnare potuisset, nisi Christus Dei Filius? Qui  
omnibus in æternum gentibus regnaturus nunciatur. Nam si Sa-  
lomon regnavit, sed in finibus Judæ tantum, à Bersabæ usq; Dan  
Termini ejus regni signantur: Si verò Babilonijs & Parthis regna-  
vit Darius, non habuit potestatem ulterius, ultra fines regni sui, nō  
habuit in omnibus gentibus potestatem. Si Ægyptiis Pharaon vel  
quisquam ei in hæreditatem regni successit, ille tantum potitus est  
regni sui dominium. Si Nabuchodonosor cum suis regulis ab In-  
dia usq; Æthiopiã habuit regni sui terminos. Si Alexander Macedo  
nunquam Asiam universam & cæteras regiones posteaquam de-  
vicerat, tenuit. Si Germani adhuc usq; limites transgredi non sinun-  
tur. Britannia intra Ocean⁹ ambitū conclusæ sunt. Maurorum gens  
& Getulorum barbaries à Romanis obsidentur, ne regionū suarū  
fines excedant. Quid de Romanis dicam, qui de legionum suarum  
præsidij imperium suū muniunt, nec trans istas gentes porrigere  
vires regni sui possunt? Christi autem regnū & nomē ubiq; porrigitur ubiq;  
creditur: ab omnibus gentibus, supra enumeratis colitur, ubiq; regnat, ubiq; ad-  
oratur, omnibus ubiq; tribuitur equaliter, non regis apud illū major gra-  
tia, non barbari alicujus imperiosi lætitia, non dignitatum aut na-  
taliū cujusquam discreta merita, omnibus æqualis, omnibus  
rex, omnibus judex, omnibus Deus & Dominus est. Nec dubites  
crede



credere quod asseveres, cum videamus fieri. Hactenus verba Tertul-  
liani. quibus potius quam nostris amplitudinem augustam re-  
gni, Christi describere placuit. Floruit autem Tertullianus circa  
aonum Christi, 225.

#### XCIV.

Cæterum, quomodo consecutis seculis nomen Christi to-  
tam itidem terram compleverit, sed non à singulis populis quovis  
seculo fuerit honoratum, ideoq; sæpe ab una gente ad alteram pu-  
ritas ejus migraverit, sæpe iterum remigraverit, per historias prolixè  
demonstrari, indeque certitudo prædictionis Propheticae Gen. 49.  
10. *Erit expectatio gentium*, Item Gen. 22, 18. *Benedicentur in semine tuo  
omnes gentes terræ*, latius diduci poterat ut & ad oculos declarari, in  
gratitudo multarum gentium veterum & recentium cum magna  
oscitantia res sacras curandi conjuncta, nisi ad alia loca & tempora  
negotium hoc differri instituti hujus ratio juberet.

#### XCV.

Legantur in hanc pro nostro tempore sententiam scripti tra-  
ctatus eruditissimi, liber de regno Christi Philippi Nicolai. & o-  
ratio apodictica de novissimis mundi Urbani Hantschmanni  
D. U. J. & consiliarij Electoris Saxonicae.

#### XCVI.

Non adducuntur Patrum testimonia quasi Apostolica nobis  
non sufficeret autoritas, sed potius Apostolicam assertionem hi-  
storicis patrum confirmationibus nobis illustramus, certò simul  
credentes, quia 1. Tim. 1, 15. *Jesus Christus venit in hunc mundum peccatores  
salvos facere*, & 1. Tim. 2, 4. *quia Deus vult omnes homines salvos fieri &  
ad agnitionem veritatis venire*: quia in emissionem Apostolorum Matt.  
28, 19, 20. jubet *docere omnes gentes* & promittit perpetuam suam  
præsentiam, *Ego sum vobiscum OMNIBUS DIEBUS usq; ad consum-  
mationem seculi*, quod omnibus seculis extrudat idoneos operarios  
in messem suam, vel in ipsam mediam Ecclesiam, vel in viciniam  
cætuum, ut in extremo die omnes inexcusabiles reddere queat.

#### XCVII.

Cæterum quemadmodum Christus Jesus *Ἰεσὺς Χριστὸς* in  
NOVO



Novo Testamento regium munus suum exequitur potentissime,  
ita etiam ante incarnationem idem Filius Dei, quia & tunc omni-  
um hominum mediatorem agebat, omnesq; homines salvatos cu-  
piebat, suo modo, non ut nunc in assumpta carne, regij muneris par-  
tes exequatur. Sicut enim in Novo Testamento habemus ex-  
pressam literam, quod Deus velit omnes homines salvos fieri &  
ad agnitionem veritatis pervenire, ita in Veteri Testamento iti-  
dem apertissimum extat verbum Dei, quod velit omnes homines  
pervenire ad salvificam veri Dei notitiam.

XCIIIX.

Utrq; res illa constet, inspici primùm poterit illud sacrarum  
literarum compendium & quasi Catechismus, liber nimirum  
*Psalmorum*, quos Psalmos diversis temporibus mundi à diversis  
Prophetis, ex Spiritu Dei illuminatis hominibus conscriptos esse  
nemo dubitabit, qui omnes inscriptiones paulò attentius cogitare  
saregerit. Quid igitur quovis seculo mundi à sancto & pio suo po-  
pulo fieri voluerit Dominus quoad conversionem aliorum popu-  
lorum ad salvificam unius veri Dei cognitionem, lector benevole,  
ex eodem libro tibi collige: nos brevitati studebimus.

XCIX.

Psalm. 49. *Audite hæc OMNES GENTES, auribus percipite  
OMNES qui habitatis ORBEM*, Psalmor. 57, vers. 8. *Exur-  
ge Psalterium, & Cithara mea, exurgam diluculo, confitebor tibi in populis  
Domine, & Psalmum tibi dicam in gentibus, quoniam magnificata est  
usq; ad cælos misericordia tua, & usq; ad nubes veritas tua. Exaltare super cæ-  
los Deus, & super omnem terram gloria tua. Psal. 66. Iubilare Deo o-  
mnis terra, Psallite gloriam nomini ejus, date gloriam laudi ejus. Dicite  
Deo, quam terribilia sunt opera tua, in multitudine virtutis tuæ frustrabun-  
tur inimici tui, Omnis terra adoret te, & psallat tibi, psalmum dicat nomi-  
ni tuo. Venite & videte opera Dei, terribilis in consilijs super filios homi-  
num. Qui convertit mare in aridum, Benedicite gentes Deum nostrum &  
auditam facite vocem laudis ejus. Psal. 105, 1. *Confitemini Domino &  
invocate nomen ejus, annunciate inter gentes opera ejus. Ps. 148. Laudate  
Dominum de cælis, laudate eum in excelsis, Reges terræ & omnes popu-  
li, principes & omnes judices terræ.**

E

100. Omic-





C.

Omittimus alia, sicut etiam hæc explanationibus dilatare non licet per instituti hujus rationem. Nomen Dei, inquit Lutherus super Ps. 1. & 8. est omne bonum quod de Deo credi, dici, prædicari potest, ut fiat in animis hominū excellentior super omne quod extat in hoc mundo. Ergo in allegatis oraculis mutuò sese sancti homines extimularunt ad promovendam gloriam Dei per conversionem hominum inter gentes, & per consequens, ante incarnationem Christi sitivit Deus omnium gentium salutem, & voluit omnes gentes salvos fieri, & voluit omnes gentes ad agnitionem veritatis pervenire. Præterea quædam ita comparata sunt, ex his jam allegatis, ut hodie quoq; nobis dicta putari debeant, ut nos meminerimus, *annunciandum nobis esse nomen Christi pro virili omni apud omnes adhuc rebelles & incredulas gentes.* Illud præstatur in honorem DEI, quando vicini prædicatores vicinis Ecclesijs. quoquomodo viva voce & scriptis consulere summo perè annuntur.

CI.

Inspiciantur secundo Prophetica prædictiones qualis est exempli gratia apud Esaiam c. 13, 11. adversus Monarchiam Babylo- nicam, propter iniquitates hominum, quales etiam prædicuntur calamitates futuræ vicinis Judæorū Moabiticis c. 10. propter superbiam & arrogantiam. item c. 18. Thogloditis & Æthiopibus propter latrocinia, item c. 19, 1. Ægyptijs propter crassissimam idololatriam & maximam hypocrisim. Quorum igitur vitam emendatam cupivit Dominus, horum promotam æternam salutem voluit.

OII.

Legatur etiam Esaiæ caput 56. super quod ita Lutherus: *principio capitis ministrum Legis agit Esaias & exhortatur populum ad justitiam illam legalem, ut per legem ceu per Padagogum paretur ad futurum Christi regnum: in reliquâ parte consolatur profelytos sui temporis, ne se putent alienos à populo Dei, & promittit, quanquam non sint de semine Abraham, tamen illorum sacrificia accepturum Deum, & plures vocaturum: Hac Lutherus.*

OIII.

Audiantur plura ex Luthero super capitis jam indigitati ver-  
sum



Sum 7. Adducam eos (filios advenas) in montem sanctum meum & lætificabo eos, in domo orationis meæ, holocausta eorum, & victimæ eorum placebunt mihi super altari meo, quia domus mea domus orationis vocabitur CUNCTIS POPULIS. Hic igitur Lutherus super verba, Adducam eos: *Etiã gentes profelyti debent esse participes hujus religionis & promissionum, & quia credunt promissionibus meis, ideo grata mihi erunt sacrificia eorum.* Et super verba Domus mea, &c. *Hec est ratio quare Eunuchos & Profelytos probet, quod non Judæis solis datus sit hic cultus Dei, neq; illi soli Dei sint populus, sed quod est domus precationis cunctis populis.* Sic etiã ante naturam Christum completi illud oportuit, quod promissum erat Abraham, ut esset pater multarum gentium. *Hactenus verba Lutheri.*

CIV.

Similiter apud Jeremiam habetur c. 46. Prophetia contra *Egyptios* per quos Judæi sperabant se fore tutos rejecto vero Deo, unde Deus *Egyptios* vocat suos inimicos, quia avertebant Judæos à præcepto Dei, item contra *Æthiops* & his vicinas regiones, atq; c. 50. eventum Prophetiarum omnem utpote ipsa certitudine certiore inculcari *Ethiopicis, Annunciate, (inquit) in gentibus, & auditum facite, levate signum, prædicate & nolite celare, dicite, capta est Babylon, confusus est Bel, victus est Merodach, confusa sunt omnia sculptilia eorum, superata sunt idola eorum.*

CV.

Inspiciatur Rex Ninive apud Jon. 3. qui absq; dubio non fuit tantum auctor totijsti soli urbi, sed etiã toti regno amplissimo sese convertendi ad Deum, quemadmodum Danielis 3, 18. *Nebucadnezar* rex veri Dei à sese agniti veram noticiam inculcat omnibus populis, tribubus & linguis qui habitabant in universâ terrâ, quibus nimirum ipse plurimis & speciosissimis provincijs imperabat, quale etiã mandatum in universo regno suo tribubus & linguis *Darius* Dan. 6, 25. quale etiã sine dubio mandatum tandem regina *Saba* post iter Hierosolymitanum feliciter confectum in suis ditionibus exhibuit.

CVI.

Inspiciantur sub Veteri Testamento Judæorum dispersiones hinc inde in imperijs. In libro *Esther* c. 3. artificio *Hamani* seductus *Ahasverus* Rex scribit ad principes Regis, & ad duces qui erant



*Singulis provincijs, ad principes singulorum populorum & singularum provin-  
ciarum secundum Scripturam cujusq; & ad quemq; populum juxta linguam  
suam ut perderent Judæos, nimirum ut habetur in contrario man-  
dato Esth. 8, 9. ab Indiâ usq; ad Æthiopiam, in centum & viginti septem  
provincijs: sicut Act. 2, 5. adsunt in festo Pentecostes Judæi ex lo-  
mni natione sub sole, non tantum Judæi sed & Profelyti & alio  
tempore Æthiops Eunuchus Act. 8, 27.*

CVII.

Solitos etiam fuisse Judæos in alijs terris narrare magnalia JE-  
HOVÆ modo purius modo corruptius, patet ex illo Salvatoris  
Matt. 23, 15. ubi commemorat *quod circumeant mare & aridum ad faci-  
endos profelytos.*

CIIIX.

Apud Josephum lib. I. adversus Apionem ex Clearcho peri-  
patetico tunc celebratissimo, innuitur colloquium Judæi cum Ari-  
stotele habitum. & de Judæo dicitur à Clearcho quod fuerit divi-  
nus homo, qui scholasticorum sapientiam Aristotelicorum tenta-  
verit, & Tradiderit potius aliquid eorum quæ Habuit. Ex qui-  
bus verbis satis liquet, quod Judæi Sententias Philosophorum de  
Deo imperfectas ex verbo Dei taxare & reformare soliti fuerint.

CIX.

Hanc occasionem Ciceroni non defuisse, ipse auctor & testis  
est in oratione pro Flacco. Verba æstimabit lector benevolus hæc  
sequentia: *Sequitur auri illa invidia Iudaici, hoc nimirum est illud quod  
non longè à gradibus Aurelijs hæc caussa dicitur, ob hoc crimen hic locus à te  
Leli, atq; illa turba quasita est. Scis quantâ sit manus, quantâ concordia,  
quantum valeat in concionibus, submissâ voce agam: tantum ut judices audi-  
ant, Neq; enim desunt qui istos in me atq; optimum quemq; incitent, quos ego  
quo id facilius agant non adjuvabo. Cum aurum Judæorum nomine  
quotannis ex Italia & ex Omnibus vestris Provincijs (nota lector  
ex omnibus provincijs Romani imperij, cujus amplitudo tum et-  
iam maxima fuit) Hierosolymam exportari soleret: Flaccus sanxit  
edicto, ne ex Asia exportari liceret. Quis est, judices, qui hoc nõ verè laudare  
possit? exportari aurum non oportere, cū sepe antea senatus, tum ME Con-  
sule gravissimè judicavit. Huic autem tandem superstitioni resi-  
stere, severitatis, multitudinem Judæorum flagrantem nonnun-  
quam*



quam in concionibus pro Rep. contemnere gravitatis summa fuit. Haecenus verba Ciceronis qui dicit sibi notam fuisse consuetudinem Iudeorum, quam observarunt in mittendis Siclis nimirum ad conservationem sacrorum cultuum in templo Hierosolymitano.

C X.

Inter alia dicit, Iudeos saepe flagrasse pro concionibus, nimirum quando veri Dei notitiam, Dei mandata de hoc siclo, pœnas contemtoribus & hostibus Iudeorum & veræ religionis fervidis orationibus inculcarunt toti senatui & populo Romano, sine dubio etiam quæstoribus provinciarum in totâ Asiâ, quas comminationes aliqui Romani non penitus contemserunt, sicut ex ijs quæ mox adjicit idem Cicero liquidum evadit.

C XI.

Sic ergo pergit Cicero: At Cn. Pompejus captis Hierosolymis, victor ex illo fano NIHIL attigit. Inprimis hoc ut alia multa sapienter. In tam suspiciosa & maledicâ civitate locum sermoni obrectatorum non relinquit. Non enim credo RELIGIONEM & Iudeorum, & hostium impedimento præstantissimo Imperatori, sed pudorem fuisse. Hæc Cicero, & iterum post pauca: Sua cuiq; civitati religio est, Læli, nostra nobis. Stantibus Hierosolymis, pacatisq; Iudeis, tamen istorum religio sacrorum à splendore hujus imperij, gravitate nominis nostri, Majorum institutis abhorrebat. Nunc verò hoc magis, quòd illa gens, quid de imperio nostro sentiret, ostendit armis. Quàm cara Diis immortalibus esset, docuit, quod est victa, quod elocata, quod servata. Hæc idem ille.

C XII.

Philo adversus Flaccum scribit, quod illo ipso tempore Judæi plurimas & FORTUNATISSIMAS urbes in Europæ & Asiæ provincijs ac insulis incoluerint, & sanctam civitatem in qua templum Deo altissimo sacratum est, pro metropoli incoluerint.

C XIII.

Ex his omnibus colligere promptissimum est, quemadmodum hodie ex divinâ providentiâ Regis Regum Domini nostri Jesu Christi *Ἰεσουχριστου* circa totum orbem terrarum dispersi reperiuntur Christiani, id quod pulcerrimo quodâ libello ex historijs fide dignis collecto docet Philippus Nicolai nimirum in libro de regno Christi, quod ita olim sub veteri Testam. ex ejusdem Regis Regum

E

gum



gum & dominantium Domini Filij Dei beneficio habuerint, in  
viciniâ populi quivis ex quibus veram notitiam Dei trahere & ac-  
cipere potuerint.

CXIV.

Utrq; de Prophetijs supra commemoratis illud addamus, e-  
debantur quidem illæ & promulgabantur tandem magnam par-  
tem Hierosolymis, attamen citissime dispergebantur longè latèq;  
per totû orbem. Hodie ad veneticam & sagam solent homines ul-  
tra centum milliaria Germanica properare, quæ de rebus amissis  
incerta & in obscuro angulo privata perhibet responsa. Quicquid  
verò mali regibus & populis exteris prævaticinabantur Prophetæ,  
illud ipsi, quod certissime evenire multis experimentis edocti e-  
rant, avidè inquirebant, itaque de hoc populo veræ religionis cu-  
stode cõsulendo occasiones habebant hac ratione præclarissimas.

CXV.

Ex vicinis igitur Ecclesijs Ethnici ansam discendi quovis in lo-  
co sese offerentem rectius usurpare, & grata mente agnoscere de-  
buissent. Aperuerat etiam ipsis Deus templi sui sanctissimi portas,  
1. Reg. 8, 41. 42. his verbis: *Quin etiam insuper & alienigena, qui non  
est de populo tuo Israel, cum venerit de terra longinquâ propter nomen tuum  
( Audietur enim nomen tuum magnum, & manus tua fortis &  
brachium tuum extensum ) cum venerit ergo & oraverit, in hoc loco, Tu  
exaudies in cælo in firmamento habitaculi tui & facies omnia, pro quibus in-  
vocaverit te alienigena ut discant universi populi terrarum nomen tuum ti-  
mere, sicut populus tuus Israël, & probent, quia nomen tuum invocatum est  
super domum hanc quam edificavi.*

CXVI.

Quid quod quæcunq; habent Ethnici autores de immorta-  
litate animæ, de pœnis post hanc vitam, & de similibus dogmati-  
bus, illorum omnium à *Doctores* ex Prophetis acceperunt, sicuti  
expresse fatetur & scribit *Iustinus* Philosophus ad Christianismum  
conversus in Apologiâ secundâ pro Christianis adversus Antonijû  
Pium Imperatorem. Et poterant de Paradiso, de festis, de sacrifi-  
cijs, deq; alijs plurimis, de diluvio, de mundi interitu, de circumci-  
sione non aliâ de causâ nisi ob gloriam Dei in solidum vindican-  
dam, cum primis ex historicis Ethnicis, ut etiam ex Patribus Græcis  
& La-



& Latinis ista fusè tractantibus magno numero citari quam plurima.

CXVII.

Quæ hætenus allegata sunt, itidem alio sine non sunt adducta, nisi ut constet, quod Regis suo munere Filius DEI etiam ante incarnationem suam suo modo sanctus fuerit & hominum etiam ante incarnationem suam mediator fuerit, ut ex proprijs confessionibus inexcusabiles redderentur Ethnici, si modo ea, quæ ad animam pertinent non contempnim & oscitanter partim olim gentes prætermisissent.

CXVIII.

Quod enim hodie Christus fieri dicit, illud quovis seculo itidem factum & ipsâ experientiâ completum fuit, Luc. 16, 8. *Filijs hujus seculi prudentiores sunt filijs lucis in generatione suâ.*

CXIX.

Cum igitur maxima pars mundi quovis seculo potius inhiat corporalibus terrenorum regnorum beneficijs colligendis, & despiciat hujus spiritualis regni cœlestia & spiritualia bona, quæ sunt remissio peccatorum, donatio Spiritus sancti, & æterna salus, vera fides in Deum, justificatio, reconciliatio cum Deo, quæ Daniel. 9. commemorantur; iccirco non admittunt gubernationem Regis hujus per verbum & per Sacramenta dominantis gratiosè, cogunturq; sæpe in fine vitæ eundem experiri potentem & severum judicem.

CXX.

Ab hoc officio Christus vocatur in sacris litteris, Rex, David, Princeps, Pastor, Ezech. 37, 24, 25. Ose. 3, 5. Dux, Dan. 9, 25. Esa. 55, 4. Dominator, Malach. 3, 1. Mich. 5, 2. Judex, Esa. 33, 22. Admirabilis consiliarius, Esa. 9, 6. Deus fortis, Esa. 9. Dominus, Rom. 10, 4. Joh. 20, 28. Leo de tribu Juda, Apoc. 5, 8.

CXXI.

Ceterum quod dicitur *Judaicus populus singulariter esse populus DEI*, illud nec quaquam ad cœlestia beneficia sola simpliciterque est constringendum, cum ex illis quæ huc usque delibata sunt, satis appareat, in regno Christi non spectari Judæum, non Græcum, non servum, non liberum, non masculum, non feminam, Gal. 3, 28.

scilicet



sicut in præcepto de circumcidendis domesticis Abrahami nulla statuitur differentia inter natum ex Abrahamo & emptum argento à quocunque alienigena, qui non est de semine Abrahami, licet circumcisio non esset necessaria extra politiam sacram gentibus ipsis.

CXXII.

Statim enim inde ab initio post lapsum postquam Deus promissionem de Messia mittendo promulgavit, simul etiam certam lineam hominum selegit, ex qua tandem secundum carnem descendere debebat ipse Messias. Hæc linea recensetur breviter Matth. 1. & Luc. 3. & quidem in Lucâ inde ab Adamo usque ad Christum ipsum.

CXXIII.

Hic ergo populus quovis seculo diligentissimus fuit custos primæ promissionis de semine contrituro caput serpentis, & illam in quosvis alios populos longè latequè disseminare & divulgare allaboravit. Et ut viceversa hic populus præ reliquis omnibus populis in mundo facilius agnosceretur, & omnes alij populi ansam haberent ab isto cætu petendi consilia de æterna salute, magis conspicuum eum esse voluit in mundo.

CXXIV.

Huic igitur populo præ reliquis omnibus misit quàm plurimos Prophetas, in medio hujus populi voluit extare sacrificiorum Christum adumbrantium exercitia, hujus populi rex immediatus esse voluit, eumque tueri miraculosè, & conservare miraculosè adversus omnes hostes, iterum ex hostium terris miraculosè ereptum reducere in terram destinatam, inter hunc populum singulari ratione voluit habitare, & quæri, sicut factum est in Sancto sanctorum.

CXXV.

Cum enim alia templa ut olim Synagogæ ab hominibus, & à Sacerdotibus saltem quovis tempore frequententur, sanctissimam tabernaculi Mosaici & templi Hierosolymitani partem, nemo nisi summus Sacerdos in anno semel visitabat, quod Dei esset proprium habitaculum quo inter homines istos suo modo commoraretur, sicut homo apud amicum divertitur, Et hæc commoratio debuit durare usque ad adventum Messia.

126. Hinc



CXXVI.

Hinc igitur sunt augustissima elogia, quibus Deus hunc populum condecoravit, Deut. 4, 20. *Vos tulit Deus & eduxit de fornace ferrea Ægypti, ut haberet populum hæreditarium.* Deut. 9, 26. *Populus tuus & hæreditas tua.* Deut. 32, 9. *Jacob funiculus hæreditatis Jehovah.* 1. Reg. 8, 53. *Tu separasti eos tibi in hæreditatem de universis populis terræ.* Psal. 135, 4. *Jacob elegit sibi Dominus Israel in possessionem sibi,* Psal. 76. *Notus in Judæa Deus, in Israel magnū nomen ejus.* Esai 19, 25. *Benedictus populus meus Ægypti, & opus manuum mearum Assyrius, hæreditas autem mea Israel.* Zach. 2, 12. *Possidebit Dominus Judam partem suam in terrâ sanctificatâ.* Jer. 51, 19. *Israel Sceptrum hæreditatis ejus,* Psal. 80, 9. *Vitem de Ægypto transtulisti.* Exod. 19, 6. *Vos eritis, mihi in regnum sacerdotale, & gens sancta.* Deut. 4, 7. *Num est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi,* 2. Samuel, 7, 23. *Quæ est ut populus tuus Israel, gens in terra, propter quam ixit DEVS in terris, ut redimeret eam sibi in populum & poneret sibi nomen, &c.* Psal. 147, 20. *Non fecit taliter omni nationi.*

CXXVII.

Huc illa ex N. T. Rom. 9, 4. *Qui sunt Israelitæ quorum est adoptio filiorum & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium & promissio.* Act. 13, 26. *Filij generis Abraham, & qui in vobis timent Deum, vobis verbum salutis hujus missum est, & 46. vobis oportebat primum loqui verbum Dei.* Matth. 15, 24. *Non sum missus nisi ad oves perditas domus Israel.* Joh. 4, 22. *Vos adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus, quia salus ex Judæis est.* Act. 3, 25. *Vos estis filij Prophetarum & testamenti quod disposuit Deus ad patres nostros, 26. Vobis primum Deus suscitans Filium suum misit eum benedicientem vobis.* Rom. 3, 1. *Quid igitur amplius Iudæo est, aut quæ utilitas circumcisionis? Multum per omnem modum, primum quidem quia credita sunt illis elogia Dei.*

CXXIIX.

Colligere etiam cepit Christus statim post ascensionem suam amplissimum cætum tum ex Judæis, tum gentibus. Et quidem de gentibus res minùs est incerta vel obscura. De Iudæis Christo exhibitio infensis, ne quis scrupulus extet, seria est quidē Pauli Apostoli querela, Rom. 9. Attamen Act 2, 14, 22, 41. *Ter mille Iudæi Hierosolymis sub una concione convertuntur.* Et v. 47. *Deus addebat*

E

quotidie





quotidie Ecclesie qui salvi fierent. Act. 6, 17. *MULTA TURBA sacerdotum  
audientium fidei.* Act. 8, 3. Ecclesiam Christi Saul per singulas domus perseque-  
batur, viros ac mulieres. Act. 21, 29. *ad Paulum Hierosolymam reversum di-  
cunt fratres vides frater quot sint MILLIA Judæorum qui credide-  
runt.* Gal. 1, 22. *Scribit de sese Paulus, eram ignotus facie ECCLESIIIS JU-  
DÆÆ, quæ erant in Christo.* 1. Thef. 2, 14. Vos imitatores facti estis  
fratres ECCLESIARUM Dei, quæ sunt in Judæâ in Christo Jesu.

CXXIX.

Ceterum conversi isti Judæi non retinuerunt amplius no-  
men Judæorū, sed acceperunt axioma & titulū Christianorum,  
ex quorum posteris tandem innumera Christianorum profapia  
descendit. Ex 70. animabus in Ægyptum cum Jacobo pro-  
fectis intra annos 215. profeminata est multitudo vehementer  
ingens, & in illâ expediti & armis ferendis assueti in exitu ex  
Ægypto numerantur 600000. Quanto igitur magis existima-  
bit aliquis, intra fermè 1600. annos ex numero Judæorum ad  
Christum conversorum temporibus Apostolorum, & dulcissi-  
mo Christianorum titulo tum cognominatorum, familias &  
individua prodiisse innumera.

CXXX.

Omnino igitur completi sunt in Christo vaticinia Prophe-  
tarum, Psal. 72, 11. Omnes gentes servient ei, Esa. 14, 1. *Misere-  
bitur Dominus Iacob, & eliget adhuc de Israel & requiescere eos faciet super  
humū suum, adjungetur advena ad eos, & adharebit domui Iacob.* Huc per-  
tinet Christi concio Joh. 10. *de uno ovili variis ovibus complendo sub u-  
no pastore.*

CXXXI.

Etsi igitur in illis, de quibus dictum est, nobilitati præ aliis  
gentibus & populis cunctis fuerunt veteres Judæi, immò, Rom.  
11, 28. hodierni quoq; diliguntur propter Patres, tamē & ipsi & omnes  
aliæ gentes non nisi unâ & eadem fide in Christū exhibendum  
olim, sicut hodie in exhibitum salvari potuerunt aut possunt.

CXXXII.

Dominus enim JESUS heri & hodie, ipse & in secula,  
Hebr. 13, 8: super quod oraculum sacrum extat Anno Christi  
1541. confecta disputatio Divi Lutheri pulcherrima, ex qua pau-  
cula libet excerpere.

Uc



CXXXIII.

Ut enim Christum Jesum sub Papatu vehementer obscuratum Ecclesiæ clarius conspiciendum præbere posset, secutus est exemplum & consilium ipsius Christi & Apostolorum, & *quæsit Christum etiam in veteri scriptura*, Notos enim habebat aphorismos Joh. 5, 39. *Scrutamini scripturas, nam vos videmini vobis in ipsis vitam æternam habere, & illæ sunt, QUÆ TESTIFICANTUR DE ME.* (Nota Lector, tunc nullæ erant nisi veteris instrumenti scripturæ) Luc. 24, 27: *Christus exorsus à Mose & omnibus Prophetis interpretabatur in omnibus scripturis, quæ de SE, & versu 44. Oportuit impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysis & Prophetis & Psalmis de ME.* Act. 10, 43. *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, quod remissionem peccatorum accepturus sit per nomen ejus quisquis crediderit in eum.* Act. 15.

CXXXIV.

Sed ex D. Luthero paucula. Sic igitur ille: 1. *Vnus & idem Deus, ab initio mundi variis modis per fidem in eundem Christum cultus est.* 2. *Certum est Adam & Evam in Semen mulieris promissum (id est) in Deum promissorem credidisse* 3. *Habel afferens placuit Deo promissori Seminis, in quem, seu cujus promissioni credidit.* 4. *Abraham ex Chaldæis vocatus, Deo promissori Seminis vocanti credidit & justificatus est.* 5. *Aliis quidem personis, aliisque temporibus ejusdem promissionis fides renovata est.* 6. *Non humanâ quidem temeritate, sed divina auctoritate, quæ eandem promissionem per diversa tempora & personas voluit innovari.* 7. *Summa quicquid gestum est virtutum vel rerum per pios ante Christum, in fide promissionis ejus gestum est.* 8. *Sicut quicquid gestum est per Sanctos post Christum, id fide impletæ promissionis gestum est.* 9. *Desierunt per tempora varii illi modi credendi in Semen promissum, seu in eundem Christum.* 10. *Sicut & ipsa Christiana fides novissimo tempore Evangelii innovata desinet in fine mundi* 11. *Ut stet illud verissimè dictum, Christus Jesus heri & hodiè, ipse & in secula, Hebr. 13. Hactenus verba Lutheri.*

CXXXV.

*Adiicimus adhuc paucula eundem ex eodem loco, quæ ita habent: 12. Si Adam Noah, & alii Patriarchæ vixissent temporibus Abrahamæ*

F 4

promif-





NB.  
Psal. 110.  
Dixit Dominus  
DomiNO  
meo.

promissionem novam accipientis, oportuisset eos credere, ex  
Abrahæ Semine futurum Christum, aut Deum promissorem  
Semini amisissent. 13. Si Abraham vixisset temporibus David,  
oportuisset eum credere, de fructu ventris David futurum esse  
Christum, aut frustra credidisset in Semen mulieris. 14. Si Da-  
vid vixisset tempore Johannis Baptiste, oportuisset eum credere  
in Jesum, Semen filiaë suæ Mariæ vel perisset. 15. Si Johannes Ba-  
ptista post resurrectione Christi, imò suo tempore, credidisset,  
Christum venturum, seu nondum venisse, damnatus fuisset.  
*Hactenus iterum verba Lutheri.*


### CXXXVI.

Expende etiam optime lector, aliam disputationem Lu-  
theri, utrum Daniel tribuerit operibus justificationem, quando  
dixit, *Redime peccata tua elemosynis &c.* & videbis manuductione,  
secundum quam pristinis Ethnicis eandem doctrinam applica-  
re debeas. Omittimus quæ plurimi Theologi scribunt super  
1. Cor. 10, 9. *Non tentemus Christum sicut quidam eorum tentarunt, &  
à serpentibus perierunt,*

### CXXXVII.

Ipsam autem Regum Regem & dominantium Dominum  
Jesum Christum oramus, ut in hac impurissima mundi fece &  
in hac tenebricante vespera tamen maneat nobiscum, cum  
misericordiae suæ gratia, convertat omnes hostes  
suos, & nos credentes vasa & organa  
gloriae suæ faciat. Amen.

F I N I S.





OA A 6612

ULB Halle

3

002 937 107




R. W. A.





seruū tuū et israelitā sac  
tu tuū quibz locutus es  
pollices qd multitudine  
seruū eoz sicut stelle celi  
et sicut arena qz est in litore  
maris. **R**ememora dñe in  
uita sum qd p̄l̄ quia omnes  
gates sum qz hircos in  
vniuersa terra hodie p̄ter  
nōm nra. **E**t nūc in tpe h̄  
p̄ncips et p̄ph̄ et dñe ne  
qz holocaustū neqz sacrifici  
um neqz oblatiōem neqz in  
solum neqz locū p̄uinc  
tu corā te ut possimus in  
uenire. **D**ilexi te dñe s̄ in  
aia tota et sp̄i h̄militatis  
suscipiamur. **S**icut in ho  
locausta dicitur et thaurorum  
et sic in milibus agrorum p̄  
quoru sic fuit sacrificiū nra





7. 7

DISPUTATIO THEO-  
LOGICA  
*De*  
OFFICIO CHRISTI

JESU, DOMINI NOSTRI,

*Quam in Academia Vitebergensi,*

PRAESIDE

VVOLFANGO FRANZIO

SS. THEOLOGICÆ DO-  
CTORE,

Pro Gradu DOCTORATUS in

THEOLOGIA

consequendo

*Publicè defendet*

M. FRIDERICUS FABER,

ECCLESIAE STETINENSIS AD D. NI-

COLAI PASTOR.

*Ad d. 8. Julij, horis antemeridianis &  
promeridianis,*

WITEBERGÆ,

*Ex Officinâ Typographicâ Johannis Gormannæ*

ANNO clc lxxiv.

*Vive Rev. Jelov. On. M. Casparo Bamler, postmisa  
salutatione, mitti M. Oberlin*

7